DE IMMACULATO
DEIPARAE CONCEPTU

EJUSQUE DOGMATICA DEFINITIONE

IN ORDINE PRAESERTIM

AD SCHOLAM THOMISTICAM

ET INSTITUTUM FF. PRAEDICATORUM

AUCTORE

P. M. FRANCISCO GAUDE

PROCURATORE GENERALI EJUSDEM ORDINIS

AC RECTORE PONTIFICII SEMINARII PII

ALMA COLLEGE
233,82
LIBRARY
G232
Alma, Califor

ROMAE

EXCUDEBAT CAJETANUS BERTINELLI

ANNO MDCCCLIV.

Cauci Pedralli

30933

EMINENTISSIMO PRINCIPI

COSTANTINO S. R. E. CARD. PATRIZI

EPISCOPO ALBANENSI

VICARIO GENERALI SS. D. N. ETC. ETC.

FR. FRANCISCUS GAUDE ORD. PRAED.

Inter beneficia, quae Deo Optimo Maximo largiente, et Beata Virgine Maria opitulante, Praedicatorum Ordo nullo non tempore assequutus est, illud grato, ac laetanti animo percenseo, quod Te nuper a Summa Pii IX P. M. benignitate Patronum nactus fuerit amplissimum. Quid enim sperandum nobis non est sub tanti Viri auspiciis, qui generis, atque animi nobilitate praestans, ac praeclaris, quibus naviter ad Ecclesiae bonum fungeris, muneribus, eximiam jure adeptus es nominis et rerum dignitatem?

Vix igitur mentem meam subiit cogitatio de opere in lucem edendo, molis quidem ac meriti ratione exiguo, sed temporibus tamen ac rebus maxime accommodato, quo videlicet circa auspicatissimam de Immaculato Deiparae Conceptu definitionem Ordinis mei sensus publice, perspicue, ac quibusque semotis ambagibus aperirem, statim intellexi Tibi, Vir Eminentissime, omnino fore nuncupandum. Si enim ejus argumentum spectes, illud Tibi nequit non esse gratissimum ob ferventissimam, qua in Beatam Virginem,

atque insigne illius praeservationis ab originali noxa privilegium exaestuas devotione. Si rursus scopum ejus ac finem consideres, quum specialiori quadam ratione ad Dominicanum Institutum referatur, Tibi ejusdem Protectori vigilantissimo potiori jure deberi perspicuum est. Si denique ipsam offerentis personam respicere haud dedigneris, munusculum hoc ea benignitate a te excipiendum confido, qua me, immerentem licet, haud unquam desinis quotidie innumeris prosequi benevolentiae argumentis.

Hac spe innixus, sacramque purpuram humiliter exosculatus, Deum O. M., addita Deiparae sine labe Conceptae intercessione, fervidissimis votis adprecabor, ut Te, Vir Eminentissime, ad Ecclesiae suae decus, ac Ordinis mei tutamen diutissime incolumem sospitare dignetur.

Romae ex aedibus Pontificii Seminarii Pii die 20 Novembris 1854.

PROEMIUM.

Nemo sane mirabitur occasione dogmatici, quod nuper prodiit, decreti piam de Virgine immaculate concepta sententiam inter fidei dogmata percensentis, etiam e Dominicanis claustris, ac Thomistica schola non deesse, qui de tam prospero felicique eventu totius Ordinis nomine gratuletur. Immo mirandum magis fuisset, si ex schola et Instituto Catholicae veritati, ac Sedi Apostolicae addictissimo, ne vox quidem una prodiisset ad communem Consodalium laetitiam, animique obsequentissimos sensus exprimendos: quod quidem silentium, licet nullam prudentibus rerum aestimatoribus dubii causam exhibere potuisset de mentis dissensu (quod absit), aliquid tamen suspicionis forsan reliquisset eos non aequis oculis hanc definitionem, etsi Virgini gloriosissimam, intueri. Quod quidem a veritate procul abesse, praestabit tandem heic publice ac solemniter hoc quidem opusculo profiteri. Id quippe exigit filialis in Mariam Virginem affectus: id debita Apostolicae Sedi reverentia postulat: id fidelium aedificationi plane debetur; id tandem Ordinis ipsius decus peculiari quodam titulo reposcit. Dum tamen convenientissimum, ac pene necessarium opus adgredior, id diffiteri nolo, nec vero possum, me pluribus de causis praepeditum, quominus suscepto muneri satisfacerem pro rei gravitate ac dignitate. Ut enim ingenii ac scientiae

defectum incusare praetermittam, non quod vera non sint, sed ne veritatem aliqui in modestiam, vel etiam dissimulationem fortasse traducant, certe ipsis temporis angustiis pene compulsus sum, ut plura quidem omitterem, alia vero vix summis, ut ajunt, labiis attingerem. Quum enim mihi proposuerim non re adhuc infecta, sed post editum quod sperabamus (nunc porro feliciter publicatum est) decretum, veluti fidei professionem in lucem emittere, illud quidem in antecessum opus suscepi; verum aliquanto serius, quum nempe viderem in dies adolescere spem, ac fiduciam proximae definitionis. Citius vero dein absolvendum fuit, ut vix edito decreto, non postrema prodiret mei obsequii humilitas in faustissimo eventu concelebrando. Nemo autem mihi succensebit, si quasi aliud agens, tamen videar huc illuc Ordinis mei modestam quamdam *apologiam* suscepisse: quam tamen ita, Deo favente, me perfecisse confido, ut nec studio partium peccaverim, nec cuiquam irrogaverim injuriam, nec denique erroris cujuslibet, sub specie defendendi personas, susceperim patrocinium. Illud vero benignum lectorem admonitum velim, quod licet definitum modo Immaculatae Conceptionis dogma pergam ego plerumque antiquo *piae sententiae* vocabulo designare, non ea intentione ac mente id ago, quasi hanc caeteris fidei veritatibus imparem credam; sed quum de temporibus ipsam definitionem praecedentibus occupari saepius debeat oratio mea, et veterum haud pauca testimonia proferre, brevius ac convenientius visum est usitatum pridem vocabulum retinere: eo magis, quod latius pateat hoc nomen, et quae sententia catholicum dogma sit, piam semper sententiam et possit, et debeat nuncupari.

1. Vox illa, quam diuturnae tot animarum preces, anxiaque vota jamdiu efflagitaverant, e Vaticanis tandem sedibus jucundissima insonuit. Christus Vicarii sui ministerio insigne illud Dilectissimae Matris privilegium, quo cujusque labis vel ab ipso immaculato Conceptu plane nescia, hostem vicit vaferrimum ejus calcaneo nequicquam insidiantem, solemni oraculo, laetantibus Angelis, plaudentibus populis adseruit, confirmavit. Gratulatur Pius Pontifex Optimus se fuisse tantae felicitati atque honori reservatum, ut Virgineae fronti novam coronam necteret auro gemmisque praetiosiorem. Gratulantur Episcopi se posse tandem laetissimum nuncium ovibus sibi concreditis remittere. Omnes denique Civium ordines gratulantur, quippe cum honor Reginae, Matris, Patronae nequeat certe non

gratissimus subditis, filiis, clientulis evenire. Inter haec porro exultantis Ecclesiae gaudia solusne Praedicatorum Ordo, ac Thomistica schola censeri poterint alieni a communi laetitia?

2. Huic interrogationi ut respondeam, vel dubitationi satisfaciam (quae potissima hujus opusculi conscribendi et occasio atque intentio fuit) illud in primis meo ac consodalium nomine profiteor, nos omnes quotquot sumus et mente et corde et ore illa probare, quae ab Apostolica Sede approbantur, illa reprobare, quae reprobantur; adeoque ita ab omni originalis noxae inquinamento Deiparam vel in primo ejus Conceptionis instanti immunem agnoscere nos, et fateri, ut pro hac fide tuenda parati simus ex animo sanguinem ipsum ac vitam, ubi opus fuerit, lubentissime Deo opitulante profundere. Quam quidem fidei professionem heic ab initio ideo censui praemittendam, quia dulce semper ac decorum fuit illud verbis confiteri ad salutem, quod corde creditur ab justitiam: non vero quasi necessaria isthaec fidei protestatio habeatur ad erroris suspicionem removendam. Hoc enim vel in quaestionem sive dubitationem adducere non sine injuria ac calumnia posset. Inquirere profecto quid senserint Thomistae, si moderato animo id fiat, ad historicam disputationem referri palam est. At quaerere quid modo sentiant, quidve in posterum facturi sint, ac dicturi, contumelia non vacat. Idem enim foret ac disputare utrum Angelici Praeceptoris Discipuli, ac Dominiciani instituti alumni pergere velint in Catholicae Ecclesiae gremio contineri, vel exinde abscedere, et vigiles hucusque Christiani gregis canes in lupos repente converti.

3. Hanc itaque incusationem ne suspicatus quidem, ille potius timor anxium animum sollicitat, ne forte praejudicata rudiorum quorundam opinio, licet alio titulo et sensu, nos tamen a communi fidelium exultatione secernat: quasi nempe per vim compulsi non dulce ac spontaneum mentis obsequium exhibeamus, sed inviti ac devictorum more qui quondam catenis constricti, in solemni triumphantium ovatione, inter plaudentes cives triumphali curru in spectaculum vehebantur. Hanc etiam suspicionem ubi removere poterim, ac penitus expungere, rem omnibus haud ingratam, Ordini vero meo non equidem indecoram me arbitror facturum: atque ob id sub purissimae Matris auspiciis, ac praesertim in meae erga immaculatum ejusdem Conceptum devotionis ac fidei argumentum, causas illas adgredior brevi oratione complecti, tum generales et communes caeteris, tum speciales nobisque proprias, quibus ut debuimus definitionem hanc dogmaticam, antequam prodiret, vehementer exoptare, ita lubenti ac sincero animo nunc demum gratulemur adeptam. Hoc autem ut quodam ordine ac methodo exponam, tractationem omnem ad quatuor suprema Capita placuit revocare; respectu videlicet habito ad ipsam Virginem Sanctissimam, cujus filii, ad Ecclesiam, cujus membra, ad Divum Thomam, cujus discipuli, ad haereticos demum, cujus hostes esse gloriamur.

CAPUT PRIMUM.

Devotio in Beatam Virginem, et fiducia in ejusdem tutela fidentissime collocanda omnes omnino adigit, ac dulci necessitate compellit, ut in definitione de immaculato ejusdem Conceptu communi laetitiae participent ac pietati.

4. Ea est in primis amoris sinceri indoles, ac devoti animi propensio, ut quidquid videat personae, quam diligit, vel placere, vel ad gloriam ejus laudemque conferre, id ardenti studio expetat, et conlatum summa voluptate perficiat. Quod si gloria ipsa ac decus alteri adauctum, in propriam etiam redundet utilitatem, adeo ut uberrima bonorum seges ea ex radice prodire posse videatur, tunc qui communis gaudii expers foret, non se peregrinum tantum ostenderet filiis matris suae, verum et sui ipsius hostem exhiberet apertissime (1). Ostendendum igitur est (I) privilegium immaculati Conceptus fuisse Virgini Deiparae gloriosissimum; (II) tum vero huic gloriae extrinsecus augendae ac dilatandae maxime opportunam extitisse nuperam hujus dogmatis definitionem; (III) quam proinde nefas est a quopiam, qui tantae Virgini devotus sit, absque

(1) Hinc ab Angelico Doctore S. Thoma, caeterisque Theologis dividitur amor in amorem amicitiae, et amorem concupiscentiae; usurpando hanc concupiscentiae vocem non in pravo sensu, sed prout eo nomine desiderium quodlibet etiam honestum potest nuncupari. Prima illa amoris specie quaerimus bonum prout est bonum in se: altera prout est bonum nobis.

laetificis plausibus excipi; (IV) multoque minus a Sancti Dominici Ordine, qui specialibus per eam beneficiis auctus, speciales etiam grati devotique animi sensus et profiteri debet, et profitetur; (V) tum eo maxime, quod Ecclesia ex faustissimo hoc eventu jure pluribus augendam se bonis, plurimisque malis se liberandam jure confidat; (VI) ac proinde non deceat Ordinem, qui iisdem versatur aequoris fluctibus, ac temporum turbinibus vexatur sese a communi spe atque votis ne minimum quidem segregare. Singula seorsim persequamur.

§. I.

5. Ac nemo certe ne ex Thomistis quidem, umquam adeo desipuit, ut immunitatem a culpa qualibet, etiam originali, altissimum ac gloriosissimum fore privilegium non fateatur. Impossibile est enim aliquid non agnosci in eo probri ac dedecoris, quod concipiamur filii irae, maligni serpentis quadam veluti sanie ac veneno conspersi, ejusque jugo pressi, ac durissimo subditi imperio. Id porro si omnibus certum est, Thomistis debet esse exploratissimum, quippe qui Sanctorum Augustini ac Thomae vestigiis ut in ceteris, sic et in questionibus, quae de peccato originali, ac inflictis per illud vulneribus agitari solent, pressius se inhaerere profitentes, nequeunt certe incusari de nimia, ut ajunt, benignitate in hujus labis vel dissimulanda pravitate, vel effectibus minuendis. Quo autem turpior macula intelligitur, gravius vulnus, ignominiosior captivitas, eo e contra augetur pretium ac dignitas primigeniae praeservationis. Nec ab illis equidem qui hoc privilegium Beatae

Virgini vel unico instanti quondam denegarunt, hoc idcirco est factum, quod crederent rem esse exigui ponderis ac momenti. Quin immo illud putabant tanta sublimitate ac dignitate nitescere, ut soli Christo utpote universali redemptori reservatum dicerent, alteri praeterea nemini conlatum. Hoc sane principio pugnavit maxime noster Vincentius Bandellus; ex hoc famosas theses suas concinnavit Joannes de Montesono; caeterique omnes, qui hoc sensu vel loquuti sunt, vel scripserunt, hoc veluti scopulo adhaerentes jactabant se ob id communibus tenebris Deiparae Conceptionem offundere, ut Filio ipsius ampliorem lucem dignitatemque vindicarent. Caeterum eccur auctores ipsi adeo solliciti erant de immediata adstruenda post primum instans illius benedictae animae emundatione, nisi plane intellexissent, quam foret indecorum longiori eam captivitate detineri? At numquid non dedecet ab eo exordiri, quod nefas est diutius conservari? Fateantur igitur, quod tamen a nemine, quod sciam, unquam negatum est, praeservationem ab originali culpa talem praeseferre gloriae ac decoris splendorem, ut per eam Deiparae Virgini lux accedat fulgidissima. Si enim privilegium fuisset juxta ipsos, post casum illico consurgere, multo id praestantius est ac splendidius ab ipso casu omnino praeservari; quod tantae dignitatis est, ac puritatis, ut nullatenus dubitem cl. P. Joannis Perronii sententiae lubenter subscribere, quod (1) *inter plurima, quae honorificentissime de Virgine praedicantur, hoc unum si exceperis, quod Dei Mater appellatur et*

(1) De immaculata B. V. Concept. disquisit. Theolog. parte secunda Cap. VIII.

sit, nihil fortasse in majorem ejus laudem cedat, quam quod ne minimum quidem labis in suo Conceptu contraxerit.

§. II.

6. At numquid dubitare saltem licebit, utrum huic gloriae uberius amplificandae profuerit quidpiam, quae nuper edita est dogmatica definitio? — Sanctorum cum Christo regnantium, immo et gloriam Dei ipsius bifariam vulgo partiuntur theologi, eam videlicet, quae essentialis et interna, et aliam, quae exterior sive accidentalis nuncupari consuevit. Et si de illa quidem sermo sit, a rei certe veritate, nullatenus vero ab ejusdem manifestatione dependet. Ac proinde si Deus hujus conlati privilegii notitiam sibimet, vel paucis reservare decrevisset, non minor equidem extitisset illius animae insita puritas, atque innocentiae candor, nec ignobilior ejus in veterem hostem victoria. Sed nunquid idcirco tot matrem dulcissimam beneficiis ac donis cumulavit filius, ut laterent? Quin immo illi magna contulit, qui potens est, ut beatam eam dicerent omnes generationes. Sancte igitur sapienterque disposuit, ut labentibus saeculis, tempore in arcanis suae voluntatis praefinito, hoc etiam immaculati Conceptus nobilissimum privilegium Ecclesia, seu quod in idem redit, Apostolica Petri Sedes solemni decreto promulgaret, ut ad majus gloriae fastigium per authenticam manifestationem eveheretur. Glorificationem enim hanc, quam externam diximus, a rei etiam notitia ac certitudine pendere perspicuum est. Quia honor est in honorante; et laus, quae alicui reperditur, e mentis judicio, ac persuasione debet in antecessum

veluti a prima radice prodire. Alia porro est persuasio, quae simplici opinione nititur, alia quae scientia, alia demum, quae fide praesertim divina consurgit; nec paris certe sunt inter sese certitudinis ac firmitatis. Quae enim opinione hominum constant, ea nutant plerumque, ac instabilia sunt; quae historica fide, vel rationali etiam demonstratione fulciuntur, licet certissima, humanae tamen certitudinis non praetergrediuntur confinia: quae demum fide divina, ceu superno lumine collustrantur, supremum illum certitudinis gradum ac verticem attingunt, ut ne transeunte quidem coelo, et terra, verba haec praeterire unquam, aut obliterari queant (1). « Aliae enim scientiae, inquit An» gelicus, certitudinem habent ex naturali lumine rationis » humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem » habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non po» test ». = Ad fidem porro hanc divinam constabiliendam requiritur quidem fundamenti loco, ut de veritate agatur divinitus revelata: sed illa debet Ecclesiae nobis magisterio innotescere, atque ejus auctoritate proponi, quae constituta est *columna ac firmamentum veritatis* (2). Quae conditio si desit, erit quidem veritas illa de fide *quoad se,* ut scholastici loquuntur, non autem *quoad nos,* ubi saltem apertissime divinis non tradatur eloquiis. Non itaque, ut ad rem nostram revertamur, dogmatica immaculati, labisque nescii Mariae Conceptus definitio id tandem effecit, ut inciperet verum esse, vel revelatum, quod antea non foret;

(1) I. P. q. 1. art. 5. corp. Haec eadem ferme habet 2. 2. q. IV. art. 8. corp.

(2) I. ad Timoth. III. 13.

sed quum implicite prius ac subobscure in divinae traditionis Ecclesiae concredito jamdiu contineretur deposito, ac in dies magis magisque non sine Numinis afflatu ac consilio universi orbis devotione, atque assensu celebraretur, nunc tandem infallibilis auctoritatis signaculo comprobatum ad maximum, qui in hac vita possibilis sit, gradum certitudinis evectum est, nempe ad catholici dogmatis dignitatem. Quapropter (argumento uti liceat a minori ad majus) quis negabit unquam non leve adjici illustris gloriae pondus viris illis sanctitate praefulgentibus, dum solemni Ecclesiae decreto, quod Canonizationis nomen obtinuit, populi fidelis cultui, ac devotioni proponuntur? Esto, quod non ideo sint sancti, quia Ecclesia decernit, sed Ecclesia ideo decretum istud ediderit, quia sancti sunt. Esto pariter talia praecedere quandoque, tamque publica et illustria hujusce sanctitatis indicia atque argumenta, ut omnium mentibus insit ea persuasio, qua moralem certitudinem se nactos esse arbitrentur. Inutile tamen censendum non est solemne Ecclesiae judicium; quippe quod dubiis omnibus plene submotis, rem confirmat illo auctoritatis munimine, cui refragari nefas sit. Sicuti ergo praeclaris illis viris, licet jam in Christiani populi opinione *sanctificatis,* vel etiam in beatorum numero per Apostolicam Sedem adscriptis, novum tamen, praeclariusque honoris decus adjicitur, quum Ecclesia solemniori ritu hunc adprobat cultum, eorumque nomina in Sanctorum fastis percenset; ita a fortiori absurdus ac impius foret, qui admisso etiam insigni illo Virginis privilegio, contenderet tamen novum minime accepisse accidentale quidem, sed gloriosum Virginei decoris augmentum, dum singulare hoc immaculati

Conceptus privilegium ambagibus quibusque si quae adhuc forent depulsis, dogmaticae definitionis luce collustratum fuerit, ac fidei firmitate consecratum.

§. III.

7. Ex iis, quae hucusque disputavimus, satis superque colligi potest, nemini indifferens, ac multo etiam minus ingratum et injucundum videri posse recens Apostolicae Sedis decretum, nisi vel quem non tangat Mariae dulcissimae Matris decus, vel qui prae Deiparae honore propriae scholae vel antiquatae opinionis falsam quamdam honoris speciem et umbram adhuc consectari non erubescat. Quamdiu enim Ecclesia siluerat, ac praesertim quum nec instituta Conceptionis solemnitate, nec tam aperta Christifidelium consensione tacitum saltem piae sententiae praestitisset suffragium; donec, ut dicam brevius, de ea quaestione disputare nec vetitum nec nefas fuit, conciliari utique poterat inter sese et vera in Beatam Virginem devotio, et falsa de ejusdem Conceptione opinio: id quod de sancto Antonino, aliisque nonnullis veteribus scriptores omnes, quod equidem sciam, ipsa rei evidentia compulsi confessi sunt. Ratio vero in promptu est, quod tum error esset mentis, non vero cordis ac voluntatis. Cordis enim propensione, atque amoris ductu certe inclinabantur ad insigniora quaeque gratiae privilegia sine exceptione ulla in alma hac Virgine Θεοτόκῳ admittenda, ac praedicanda; quod exprimunt generales illae laudationis formulae quibus eam devoto affectu salutant ceu prorsus ineffabilem, cumtisque angelorum, atque hominum plausibus celebran-

dam. Sed involuntario detinebantur intellectus errore, ne caeteris privilegiis et donis hoc utique amplissimum et nobilissimum accenserent, vel quod quaestionis indole ac sensu non adhuc apte explorato, nihil pleni ac definiti ab iis concludi posset; vel quia illuderentur fortasse brevissimo unius instantis intervallo, non satis advertentes quid secum turpitudinis ac opprobrii inferat, vel unico temporis momento peccati ac Daemonis jugo subesse; vel quia plurium mentes inierat timor sive suspicio, ne forte per hoc vel vis inferretur generalibus, quibus sacrae litterae peccati legem exprimunt, loquutionibus, vel injuria quaedam irrogaretur Christo omnium hominum Salvatori; vel demum eo quod, pii licet atque docti, homines tamen erant, ac humanis proinde erroribus obnoxii, re nondum bene eliquata, nec Ecclesiae auctoritate dirempta.

8. Qui tamen si nunc nobiscum vitam degerent, ac Ecclesiae vocibus, ac venerando Pontificis decreto discerent, nihil pertimescendum Christi Redemptoris dignitati, quin immo honorem Matris in Filii honorem redundare, cujus meritorum intuitu sanctissima illa Anima fuit ab originis lapsu praeservata, quis mente concipere queat quam grato animo nuncium illud exciperent, ac de adepta veritate gaudio gestientes, ad eam defensandam et voces et calamum, ac sanguinem demum ipsum certatim exhiberent? Veritas enim per se thesaurus mentis, ac jucundissima est: et si odium quandoque parere dicitur veteri proverbio, id non ipsae ejus indoli, verum pravae hominum dispositioni adscribi debet, quemadmodum oculis aegris odiosa lux, quae puris est amabilis.

9. Cum ergo de immaculata Deiparae Conceptione res tandem, Deo disponente, eo feliciter perducta sit, ut de speculativa veritate ambigi sine haereseos nota haud amplius liceat, possibile ne esse putamus quosdam adesse, quibus adhuc non arrideat hujusce praeclari dogmatis definitio? vel qui dum intellectum subigunt ac captivant in obsequium fidei, aversam retineant voluntatem? vel qui de aucta tantae Matris gloria, ceu de propria injuria pene condoleant? Absit profecto, ne tantum facinus suspicemur quidem. Omnes Mariae filios esse gloriamur. Filios autem decet de maternis honoribus ac laetitiis, magis quam de propriis congaudere. Alias non filii, sed hostes: qui diligerent fortasse matrem verbo atque lingua, sed non opere et veritate. Si quis hujuscemodi in Dominicanis castris existeret (quod tamen nec esse, nec, Deo dante, arbitror futurum) hunc nec Patriarcha Dominicus inter suos, nec nos inter fratres, nec ordo ipse inter filios agnosceret ac retineret.

§. IV.

10. De illo quippe agitur Ordine qui singularem Virgini devotionem nullo non tempore professus, hanc veluti sui tesseram sacraeque militiae vexillum perpetuo habuit, suisque commendavit. Ejus nempe praesidiis auspicioque flores illos pulcherrimos pietatis, ac sapientiae progerminasse credimus, qui mira fragrantia ac venustate Ecclesiam decorarunt universam. Et Angelicus in primis Doctor noster ex hoc veluti fonte, sapientiae rivulos potasse dicendus est, dum infantulus chartulam angelica salutatione in-

scriptam avide deglutivit. Eam videlicet in maximis angustiis ac periculis praesentissimam experti sumus patronam; ejus nomine solemnia ipsa nuncupamus vota; eam quotidianis precibus salutamus; eamque in supremo ipso vitae agone fratribus jamjam morituris propitiam adprecari consuevimus, ut nempe adsit, animaeque abeunti dulcissimum ventris sui fructum ostendere dignetur. Ejus denique gloriam, virtutes, dignitatem jubemur concionibus nostris non unquam ingrato silentio praeterire, immo totis viribus, ingenio, conamine nuntiare populis, atque gentibus: adeo ut nemo verum Sancti Dominici filium se esse confidat, qui non idem in Virginem Beatissimam filiali exaestuet dilectione, nec paratus sit vitam ipsam pro quolibet ejusdem privilegio, atque honoris titulo defensando profundere (1).

11. Verum enimvero heic fortasse occurret quispiam e rudibus, sive ex iis, qui omnia non ex intimo objecti pretio, sed ex relatione, quam sibi suisque quaeque res habet,

(1) Verba heic adferre placet, quae in Constitutionum nostrarum volumine Dist. I. Cap. XV. sub litt. d. inveniuntur « Declaramus quod Ordo Praedicatorum inter alios profitetur Beatae » Mariae Virgini: quia multoties ac multipliciter compertum est, » quod ipsa specialiter Ordinem nostrum protegit ac defendit. » Ipsa enim impetravit a Filio suo irato contra mundum, ut or- » dinem nostrum institueret . . . . . Ipsa etiam Beatum Reginal- » dum corporaliter visitans, ad ingressum ordinis monuit et in- » duxit, et habitum, quem nunc deferimus induendum ostendit » dicens: *en iste habitus Ordinis tui* . . . . . Est etiam Regina Coeli, » Beatissima Virgo, singularis nostri Ordinis advocata, et piis- » sima parens et patrona, semper pro nobis apud Deum exora- » trix, quae ipsum pluries a diversis tribulationibus, et angustiis » protexit, et liberavit; sicut patet in libro de Vitis Fratrum ».

dimetiuntur, dicentes non immaculatae utique Conceptionis, sed Rosarii sanctissimi devotionem nobis ordinique nostro esse concreditam. Qua in re, nescirem profecto an magis foret ridenda simplicitas, vel praejudicata opinionum inscitia ac temeritas deploranda. Numquid enim, quaero, non eadem est Beata Virgo, quam diversis titulis colimus? Vel fieri ne potest ut eandem sub nomine quodam adamemus; sub aliis vero ne quidem cogitatio ulla nos tangat sive ipsa honore, sive ignominia afficiatur? Vel per mentalem veluti abstractionem adnitamur quidem et manus rosis implere, ac frontem roseis sertis circumcingere, nihili vero ducamus si calcaneus insidiantis serpentis veneno inficitur, vel pes Reginae nostrae servili ad tempus constringitur catena? Amor certe si germanus ac verax sit, hisce subtilitatibus caret, has mentis abstractiones nescit, respuit, dedignatur: et non unam tantum vel item alteram, verum universas ejus, quem diligit, perfectiones gaudio suscipit, et laude concelebrat; adeo ut sponsae, quam caste diligebat, venustatem describens Spiritus Sanctus, ne oblitus est quidem unius crinis colli sui (1). Attamen ne quis putet illam a me improbari consuetudinem, ac veluti acceptam a majoribus traditionem, qua singuli ferme religiosi Ordines specialibus titulis in colenda Virgine Matre seorsim utuntur, non pigebit diutius in hujus rei causas ac rationes inquirere.

12. Quo major alicujus objecti dignitas, et quo divinae imitandae perfectioni propius accedit, eo etiam est humanae menti magis impervia, humanaeque linguae inef-

(1) Cant. IV. 9.

fabilior. Inter porro simplices creaturas dignissima, ac throno Dei propinquissima refulget mulier illa divino amicta sole, quae ut in divina maternitate dignitatem assequuta est pene infinitam (1), sic (Angelico ipso docente) gratiam est nacta huic non imparem muneri, ac dignitati. Quum igitur in alma hac Virgine *omnia incredibilia miraque sint, omnia naturam excedant, omnia rationem potentiamque superent;* (2) nec si linguae centum, oraque centum nobis praesto forent, vel ferrea vox, ejus unquam possemus digne praedicare magnalia, exinde factum est, ut religiosi hominum coetus (addita nonnumquam ipsius Virginis, ut pie creditur, apparitione, quae devotionis formulam, ac titulum praefiniret) amplissimam hanc segetem inter se quasi ex condicto dividerent, et alii quidem alia tantae Virginis mysteria, actiones, privilegia speciali cultu susciperent celebranda. Nae tamen ille vehementer falleretur, qui id in *sensu exclusivo* interpetrari non dubitet: et non potius ut, veluti ex partibus totum, ex singularibus universale, et ex diversis vocum flexibus, ac sonis una enascitur harmonia, sic ex singulis devotionum modis ac vocibus una in Ecclesia obsequii ac pietatis corona resultet. Insulse proinde ac jejune quis a communibus laetandi causis ob novum Virginis honorem adauctum se se exsortem contenderit ex eo tantum, quod sub alio titulo vel

(1) 1. P. 9. 25. art. 6. ad 4.

(2) Ex cl. P. Caroli Passaglia S. J. opere, quod inscribitur = De immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu Commentarius =. Citat hic porro verba S. Germani Constantinopolitani Antistitis. Recole quae habet eo articulo I. Sect. I. primae partis.

ipse, vel, cui nomen dedit religiosa societas ipsam Beatam Virginem consueverit honorare. Non enim haec secum invicem pugnant; quin potius amico foedere conciliantur; ut unum fieri possit et alterum non omitti.

13. Idque vel eo magis dicendum est, si illud sedulo perpendamus Rosarii titulum non, ut caeteri plerique, intra speciales quosdam ac definitos terminos contineri, sed patere latius, vastoque conceptu cuncta Virginis magnalia complecti, quae ab Incarnationis gaudiis coepta, ac inter dolorum aculeos producta, in pulcherrimum gloriae florem ceu rosam amoenissimam succreverunt. Licet autem in meditandis, quae proponuntur, mysteriis, ab Angeli annuntiatione exordiamur, nemo tamen non videt hoc ipsum cum anteacta Mariae vita, primisque ejus exordiis intimo quodam nexu copulari. Quum enim Ipsam Gabriel non usquam audito elogio plenam gratia salutavit, non actualem tantum plenitudinem exprimere voluit, sed primigeniam ipsam, qua praeparata fuit *ad statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti ejus* (1). Dei enim perfecta sunt opera; et opus grande erat; non enim homini habitatio parabatur, sed Deo (2); cujus profecto domum decet sanctitudo (3), non alicubi tantum, sed vel a primis ejusdem fundamentis. Et ne a mysticae rosae similitudine recedamus, ut qui naturale rosetum cupiat alte solo defigi, ac vividius florescere, radices certe ipsas haud negligit, sed iis irrigandis studet

(1) Ex S. Thoma 3. P. 9. 7. art. 10. ad 1.
(2) 1. Paralip. XXIX. 1.
(3) Ex Ps. XCII. 8.

diligentissime; sic et nobis mysticum Virginis Deiparae Rosarium praedicantibus absonum profecto non erit, nec ab instituti ratione alienum, si primam ejus radicem, Conceptionem nempe qua beatissima illa anima existere coepit, jam pulchram, immaculatam, purissimam celebremus, ut nempe omnes intelligant quam sancta fuerit radix illa, e qua rami sancti, fructusque dein sanctissimi promanarunt.

14. Non ergo agitur, ut timidiores quidam fortasse suspicantur, de gloriosa illa Patrum nostrorum traditione, et quasi sacra haereditate abneganda, qua nobis Rosarii insignem devotionem propagare concreditum fuit. Manet, semperque manebit alta mente repositum illud factum nobis jucundissimum, et Apostolicae Sedis autoritate firmatum, quo Beato Dominico adparuisse olim traditur benignissima Virgo, eumque ac spiritualem ejus sobolem Rosarii sui praecones esse mandavit. Jussis obediens Vir Sanctissimus nullis umquam pepercit laboribus vigiliisque ut ubique gentium diffunderet devotionem hanc Deiparae ipsius manu acceptam, praecipuumque ejusdem protectionis pignus. Exinde vero etiam filiis hoc munus ipsum commisit; nec frustra. Horum enim voce, persuasu, apostolicisque sudoribus a solis ortu usque ab occasum, et usque ad terminos terrae propagata est devotio Virgini acceptissima, qua veluti clypeo induti, seu gladio praecincti Christifideles miros plane retulerunt de haeresibus, de vitiis, de erroribus, deque hostium sive blandientium insidiis, sive frementium minis, victoriae triumphos. Sed quid inde? Verendum ne erit, ne propagato in dies, et aucto cultu de immaculato Virginis Conceptu,

sensim ac sensim defervescat Rosarii devotio? Minime sane; quin potius augebitur, quum consueverit Christianus populus Deiparam ipsam, quocumque tandem titulo illam colere contingat, Rosarii recitatione invocare. Non ergo nutabit, vel nutat illius devotionis firmitas, quam Catholici gregis Antistiles, ac Romani praesertim Pontifices hortationibus, privilegiis, additisque amplissimis indulgentiarum thesauris promovere usquequaque satagunt, licet immaculatae pariter Conceptionis devotissimi, id quod, veteribus praetermissis, vel facto ipso, exemploque Pii IX feliciter regnantis abunde conspicuum est: quo nemo impensius fervidiusque Conceptionis immaculatae mysterium colit, adeo ut Divini utique Spiritus afflatu voluerit illud in fidei dogmatibus percensere: et tamen Rosarii devotionem inculcare non solum Apostolicis Litteris data vel quaesita occasione numquam destitit, verum et veteribus indulgentiis novas quasdam in ejus favorem adjicere non dubitavit (1).

15. At hic vereor, ne quis mihi forte succenseat, quod in re tam obvia, tamque exigui, ut videtur, mo-

(1) Decreto diei 12 Maji 1851, quod ita exorditur = Ut magis devotio erga Deiparam semper Virginem in fidelium cordibus incrementum suscipiat, praesertim vero per efficacissimam Sacratissimi Rosarii deprecationem, in qua mysteria quoque nostrae Redemptionis recoluntur, SS. D. N. Pius PP. IX. . . . . praevia confirmatione singularum Indulgentiarum, quae per gloriosos Praedecessores suos tam sodalibus Confraternitatum Sacratissimi Rosarii, quam universis Christifidelibus Rosarium recitantibus fuerant elargitae, ipsis . . . . . novas Indulgentias clementer impertitus est; indulsit nempe etc. =

menti diutius non piguerit immorari. Quibus jam meae mentis fateor arcanum, ut sin minus laudem, certe aliquam ab iis consequar consilii hujus capessendi excusationem. E viris sapientibus ac discretis neminem latere posse existimo magnos effectus e parvis saepe causis primam ducere originem: sicut omnibus pariter notum est aliquid humani sese facillime insinuare, non rerum quidem, sed hominum defectu in ipsis causis sanctioribus propugnandis. Ego ipsemet plane memini, quum postulante Patre Angelo Ancaranio tunc temporis Ordinis nostri Generali Magistro, etiam nobis concessa fuisset in *praefatione* missae additio vocis *immaculatae* vocabulo *Conceptionis* adjiciendae, cujus etiam officium ad digniorem tunc octavae solemnis ritum fuerat elevatum, decretum quidem ea, qua decebat, reverentia exceptum fuisse, atque exequutioni demandatum: sed quorumdam tamen non effugisse querelam, non utique quoad rei substantiam, sed opportunitatem, quasi videlicet quum peculiarem nobis erga Beatissimam Virginem devotionem sub Rosarii titulo Summi Pontifices crediderint propagandam, sollicitos minime esse nos oporteret de aliis, ut ut Virgini gloriosissimis. Quibus denuo, paucorum utique, non omnium, expostulationibus aditus patuit, atque occasio, quum recentius Pater Vincentius Jandellius, qui vicaria nunc potestate supremum Ordinis clavum moderatur, a Pio IX (quo sospite laetamur) humillimis precibus obtinuit, ut Litaniis, quas Lauretanas vocant, illam et nos invocationem adjiciamus suavissimam = *Regina sine labe originali Concepta* =. Cui quidem additioni licet a plurimis expetitae, et in consuetudinem illico receptae, quidam tamen id

solummodo objicere noverunt: Nonne Ordini nostro veluti propria ac singularis adest illa invocatio = *Regina sacratissimi Rosarii etc.* = qua litanias absolvere usu antiquissimo solemus? Quid ergo opus erat quidquam adjici, ac a veteri consuetudine, et more discedere in re non necessaria?

16. Non is certe ego sum, qui has expostulandi causas ita referam, ut approbem; quas e contra, ubi sese obtulit occasio, numquam non refutavi. Novi enim illud de opportunitate judicium non a privatis subditisque usurpandum, sed reservandum esse iis qui praesunt, ac praecipue supremo Christiani gregis Pastori. Novi rursus, ne minimum quidem detrimenti passam esse legitimam Rosarii devotionem, cum praesertim in Litaniis Lauretanis adjecta quidem fuerit nova, non vero sublata illa vetus jampridem invecta forma invocationis. Novi demum opportunas maxime in Ordine nostro extitisse insolitas illas publicasque in Virginem immaculate conceptam devoti animi significationes, ut per eas nempe communibus et nos Christifidelium sensibus convenire intelligerent omnes, et ne in quaestione jam jam pene finita, ac proxime definibili (quae reapse nunc definita est) a pia, communissima, uniceque vera sententia nos soli, vulgi saltem opinione, secerneremur. Caeterum haec a me recitata sunt, non in qualemcumque Ordinis invidiam, quem filiali amore prosequi mihi religio est; sed potius in ejusdem defensionem: ut nempe ex paucorum querimoniis, nemo de Ordinis ipsius sententia judicet. Praeterquamquod enim decreta illa caeterorum exultatione recepta, immo et ardentibus votis fuerant expetita, fal-

so etiam ex hoc illi pauci incusarentur de impugnata hujus dogmatis veritate. Non enim ex contraria persuasione movebantur; sed potius aliquid humani fortasse quidam passi sunt, verentes ne minuerentur propria, aliena augerentur; quasi vero aliquid alienum, sive extraneum filiis contingere posset ex iis, quae ad communis Matris ampliorem gloriam referuntur.

17. Infelix certe ille, ac catholici systematis vel ignarus plane vel oblitus, qui post solemnem etiam dogmatis definitionem, parva magnis componens obstinaretur adhuc in hac re privatam solummodo agnoscere scholae cujusdam in alteram scholam praevalentis victoriam. Insignem certe victoriam heic adesse fatemur: sed victoriam veritatis in errorem: victoriam Virginis iterato de nequissimo daemone triumphantis: victoriam demum illam, quae in omnium Catholicorum bonum redit, ac laetitiam. Nemo itaque hac injuria afficiat Ordinem, qui sub Virginis auspiciis se natum, ac crevisse gloriatur, ut eum suspicetur quidem triumphum hunc Matris dulcissimae indifferentibus, vel quod pejus est, aversis oculis intueri. Quo purior illa, ac a primaeva qualibet labe mundissima conspicitur, eo amabilior oculis nostris apparere debet atque ardentiores amoris igniculos excitare. Hunc sibi praecipue finem proposuit Pontifex et nomine et re vere Pius, dum ex Petri cathedra illam omnimode et semper immaculatam pronunciavit. Hoc videlicet dogma suavissimum communire voluit novo robore veritatis, ut fidelium corda in eam saucientur vehementiori jaculo charitatis. Non ergo quisquam vel somniavit quidem, sive molitus est nos a traditione divellere institutoque majorum.

Praedicemus, licet, Virginis Rosarium, ac devotionem hanc pene languescèntem pro viribus revocemus. Quis hoc vetat? quis prohibet? quis potius non suadet? sed huic effectui obtinendo nedum obsit Conceptionis immaculatae cultum propagari, quin potius mirifice proficit. Sperandum enim est hujus occasione definitionis obliteratum alicubi penes Christianas familias quotidianae hujusce recitationis morem esse denuo revocandum, non sine ingenti animarum fructu, atque Ecclesiae prosperitate: quae profecto ex hoc faustissimo prolati oraculi eventu plura sibi praestolatur bona, novasque in dies contra conjuratos hostium impetus, Deo bene juvante, Maria protegente, victorias.

§. V.

18. Et incidisse nos quidem in mala tempora, atque ob id Caelesti praesidio atque ope maximopere indigere, palam est, ac manifestius, quam egeat demonstrari. Non ita stupidus sum laudator temporis acti, ut omnia probem quae olim gesta sunt, omniaque improbem quae nunc fiunt: nec diffiteor heic extitisse et bona mixta malis, et mala mixta bonis. Ast nonnullis abhinc annis, ac ferme ab integro jam saeculo res susdeque versas fuisse, et auctum hostium numerum, insidias, furorem, Ecclesiae ac societati supremam cladem minitantium, caecus est qui non videat. Quis Socialistarum agmina in hunc finem coaluisse nesciat? Quis Protestantium molimina vel in nostrae Italiae finibus ignoret? quis ipsas non advertat civilis societatis bases impio facinore concuti, atque oppugnari? Ex quo omnia subverti, ac in pejus ruere coepta sunt, bella

bellis, seditiones seditionibus, calamitates calamitatibus indesinenter succedere conspeximus; ac incedere adhuc cogimur per ignes suppositos cineri doloso. Aequum est porro, communique usu receptum, quum graviora instant discrimina, tunc potentiora foedera jungere, firmioribusque sese committere praesidiis. Quid porro post Deum potentius illa coelestis exercitus Regina, cujus semper, ubique, in calamitatibus omnibus, ac periculis praesentissimam opem experta est Ecclesia? Sancte igitur, ac providentissime Supremi Pontificis manus e campis revelatae doctrinae sibi custodiendis novum florem candidissimum modo decerpsit, ac fidei vinculis colligavit, virgineamque Reginae frontem ea gestienti animo exornans corona, ampliori spe, fervidiori fiducia in sinum sese recipit maternae pietatis.

19. Non sum nescius quosdam adesse, qui vel clanculum, vel etiam aperte haec omina melioris aevi exsibilant, ac cachinnis excipiunt, consuetaque fanatici furoris nota perstringunt: frustra tamen, ut injuria. Nos enim in spei nostrae tutamen ac columen habemus insignia tum juris, tum facti argumenta. Exemplis scatet quippe Ecclesiastica historia, et specialis cultus, quo Christifideles in graviori rerum discrimine eam invocare consueverunt; et tuitionis illius, et opis, qua benignissima Mater populo suo adstitit, ac furentia hostium agmina compescuit ac protrivit. Ad intrinseca vero quod attinet rei momenta, nemo sane hanc fiduciam irridere potest, nisi vel Deistarum more, providentissimam Dei omnia gubernantis manum agnoscere detrectet; vel Rationalistarum, omnia velit naturae finibus contineri; vel Protestantium, deneget Sanctorum, ac potentiori praesertim Deiparae Virginis prece nos posse ju-

vari, eosque proinde exhibito cultu ac veneratione invocandos ; vel demum rei evidentiam abnegans, contendat indifferenti oculo ac corde fore a Virgine Sanctissima suscipiendam curam illam, studiumque, quo nititur Ecclesia honorem ejus tueri, gloriam edicere, pervulgare triumphos. At quinam influxus, ajunt, et quae tandem intercedit connexio inter pontificii cujusdam decreti prolationem, et mira illa, quae inde expectantur? Vel quam vim et efficaciam sibi illud vindicare poterit ad socialium vulnerum medelam, ad impiorum systematum eversionem, ad conjurationes compescendas, ad detegendas insidias, ad vim propulsandam, ad divisos animos amico tandem inter sese foedere conciliandos? Nonne illud proponere tanquam universale malorum pharmacum, insania est delirantis aegri insomnio persimilis? Sed huic irreligiosorum hominum (qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt) instantiae facilis patet responsio. Non certe ii sumus, qui velimus legem imponere Deo, ac veluti definire viam, qua res pro lubitu nostro, ac votis debeat moderari. Divinae voluntatis consilia non curiose perscrutanda novimus, sed arcano obducta velo humillime adoranda (1). Fatemur igitur lubentissime a libera Dei voluntate pendere expectatae liberationis modum; nec illi tempora praefinimus vel mo-

(1) Consulto praetermisi ea commemorare vaticinia, quae de hac re proferuntur. Quod silentium non quidem ex contemptu vel incredulitate nasci protestor, sed quia ad Ecclesiam Sedemque Apostolicam de hujusmodi negotiis judicium omne committere prudentissimum censeo. Si vero Deus ipse voluit et fausta polliceri, et sanctis id quibusdam animabus revelare, quod equidem potuit, tunc etiam certius futura promissa bona praestolamur.

menta, quae posita novimus in sua potestate. Sed quod adaucta per novum decus populi devotione, cumulatis gaudiis, ingeminata laetitia, vividiori spe undique excitata, nobis persuasum sit permovendam iri matris amantissimae clementiam, ac pro fervidiori cultu majora vicissim exinde beneficia expectemus, non quidem in *specie* determinando modum, sed in *genere* meliora tempora, felicius aevum auspicantes, nedum in phanatismi, quod ajunt, suspicionem traduci queat, quin immo gravissimo et piissimo innititur fundamento, quod nec impiorum cachinnis, nec Protestantium seu Jansenistarum irrisione, nec demum quorumdam falsi nominis Catholicorum dubitationibus everti unquam possit, vel infirmari.

20. Quod licet ex dictis abunde pateat, lubet tamen hac etiam ratione concludere. Quidquid dicant Rationalistae atque increduli irrisores, certum est, ac divinis eloquiis perspicue traditum, bella ipsa, turbines, tempestates, quas impii homines excitare haud desinunt in Ecclesiam Christi, a Diabolo ceu a primo eorum instigatore prodire, semperque prodiisse. Ab Ea igitur maxime praestat tunc auxilia reposcere atque expectare, cujus pede maligni serpentis caput jamdudum protritum est. Prima siquidem victoria illa subsequentium veluti auspex potest jure censeri. Sicuti ergo qui terreno sub Rege militant, in ipso bellorum discrimine, ubi acrior fervet pugna, sese excitare solent iis elatis vocibus = vivat rex = (1), sic in spirituali praelio, quo nunc temporis Ecclesiam adoritur conjurata impiorum manus, praeeunte Supremi Ducis voce,

(1) I. Reg. X. 24.

fidelis omnis populus toto orbe conclamat = vivat Regina =, eaque voce, devotione, fiducia sperandum est, ut pacatis rebus, devictis hostibus, optata tandem pace ac quiete fruamur. Abeant igitur, qui non intelligentes ea quae sunt Spiritus Dei, quidquid ignorant blasphemant. Pergant illi quidem credulitati nostrae superbe insultare. Quo magis adnitentur spem hanc, expectationem, fiduciam e Christifidelium cordibus evellere, eo altiores figere radices vel inviti conspicient: quibus certe Catholici gregis sensibus ita et meus Praedicatorum Ordo participare gestit, ut ab iis nullo pacto excludi patiatur.

§. VI.

21. Illis enim tantummodo fas est a commnnibus votis secerni, qui a communi discrimine exempti sunt; neque a stella maris, salutis auspice, oculos avertere possunt qui non in littore quiescunt, sed in mediis fluctibus agitantur. Porro, praeterquamquod communia Ecclesiae pericula etiam nostra sunt, eo modo quo pars totius, membrum corporis, legio exercitus sortem dividunt sive prosperam sive adversam, nonne praeterea peculiaribus etiam malis affligimur, fluctibusque divexamur? Numne mitiores nobis se se exhibent Ecclesiae hostes? Vel non potius speciali odio prosequuntur, praecipue ob Tribunalis illius sanctitatem, quod Pontifices erexerunt frangendae haereticorum perfidiae? Nonne ob id perduelles cane pejus et angue nos oderunt, ac caedes, ac perniciem nobis, ut caeteris, moliuntur? Haud ignota loquor. Romanae glebae recenti adhuc fumant duplicis victimae cruore, quam scelesti neca-

runt e claustris nostris ereptam. Adhuc feroces minae, ac fremitus lugubri circum nos mugitu reboare videntur. Et, ut mittam caetera, non ita pridem duos Ordinis Alumnos ob causas levissimas et ad religionis bonum, et in Apostolicae Sedis servitium susceptas, a septentrionalis Orae Potentissimo e fratribus divulsi sunt, ac in Sybericas plagas exulare jussi. Tum etiam in propinqua regione (proh dulcem ac miseram Patriam meam!) non postremi certe fuimus, quibus amari calicis faeces fuerunt propinatae. Dum igitur gravia mala premunt, et instant fortasse graviora, quo confugiemus tandem, nisi ad propugnaculum illud fortissimum, praeclarumque sydus, quod potis sit hostium furores compescere et minaces serenare tempestates? Hanc igitur et nos spei anchoram et amplectamur lubentissime, et constantissime teneamus. Aequum est enim ut quum Ecclesiae membra simus, cum ea et dogmatibus, et moribus, et affectibus, et in omnibus denique et per omnia consentire studeamus, quae altera quidem ratio fuit sequenti capite discutienda.

CAPUT SECUNDUM.

Licet veterem Ordinis Praedicatorum de Virginis Conceptione opinionem piae sententiae repugnasse falsum sit, optandum erat tamen ut certa demum ratio ac modus suppeditaretur, tum ad singulorum consensum tutissime, ac sine exceptione obtinendum, tum ad quamlibet contrariae opinionis suspicionem penes omnes penitus ac perpetuo removendam. Quod dogmatica tandem hujusce veritatis definitione nos assequutos, gratulari decet vehementissime, ut veluti pars toto, et membra corpori, etiam in hoc, uti in coeteris, Ecclesiae communi matri conformes perfecta omnium consensione inveniamur.

22. Ac illud in primis adnotari placet non de illo mentis obsequio hoc quidem loco nos disputare, quod fidei decretis praestandum Catholicorum nemo inficiatur. Jam quippe professi sumus hanc quaestionem ne a nobis vel minimum attingendam; sed ita praesupponi, ut si insperato contingeret quosdam ita sui oblitos (quod ne suspicari quidem volumus), qui definito dogmati pervicaci nequitia refragarentur, eos sicut ethnicos et publicanos execrantes, solemni protestatione dicemus: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (1). Non ergo de hac generali ratione, quae cunctos Christifideles captivare adigit intellectum in obsequium fidei, heic disse-

(1) 1. Joan. II. 19.

rimus, sed alias peculiares causas adgredimur oratione complecti, quae nobis, utpote speciali obedientiae ac obsequii vinculo Romanae Sedi adstrictis, definitionem dogmatis de immaculato Virginis Conceptu optabilem in primis exhiberent antequam ederetur; ac deinde jam editam multo pretiosiorem efficiant ac jucundam. Primo igitur (I) exponemus innumera illa, quae a pluribus saeculis edita sunt, ac praeclarissima cultus, devotionisque in mysterium istud monumenta, ut de Ecclesiae, Sedisque Apostolicae sententia nemo ambigere jam posset, etiam ante expressam dogmatis definitionem: deinde (II) quaenam fuerit vera Ordinis doctrina et opinio inquirentes, (III) de paucorum dissidio, hujusque phaenomeni causis uberius disputabimus, ut inde luce clarius patescat (IV), crescente in dies Christiani Orbis in hoc Mariae privilegium devoti obsequii manifestatione, non solum negative, ut ajunt, minueretur eadem proportione aliter sentientium numerus, verum et positive et formaliter integrum Ordinem piam admisisse ac propugnasse sententiam. Quia tamen res eo adductae erant (V), ut maximi momenti foret, non ipsam tantum generatim Familiam opinioni Ecclesiae consentire, verum et singulos Ordinis alumnos et filios; aliunde vero (VI) medium adhuc deerat omnino certum atque efficax ad hunc effectum tutissime consequendum; idcirco definitio dogmatica ardentioribus votis expetenda nobis fuit, summaque animi laetitia excipienda, utpote quae dissentientes (si quis adhuc latuisset) in unam eamdemque copulat tandem et mentis et cordis et oris unitatem: ac praeterea (VII) nos perpetuo vindicat a permolesta contrarii erroris suspicione, quam vix, ac ne vix

quidem, alia via, nec libri editi, nec cultus, neque conciones, nec protestatio quaelibet a praejudicata vulgi opinione obliterare potuisset. A primo interim exordiamur.

§. I.

23. Quum illa monumenta vetustate illustria, numero ingentia, pondere gravissima a viris eruditis et undique collecta, et apte proposita, et mirifice fuerint illustrata, nihil sane facilius mihi contingeret quam exinde praecipua excerpere, vel iis etiam diversa methodo atque ordine expositis, facilem eruditionis speciem ostentare. At numquid plagium non illico adverterent omnes, et jure conquererentur me frustra in sylvam ligna adferre voluisse? In re igitur evidentissima sat erit pauca exscribere verba ex laudatissimo opere Cl. P. Caroli Passaglia, qui sic habet (1): « Quis nisi male sanus, Christianaeque » immemor pietatis in discrimen vocet, atque in dubita- » tionem adducat ejusmodi doctrinam, cui unanimes pa- » trocinantur fideles; quam theologi uno ore propugnant, » quam nobilissimae theologicae facultates prae oculis » gerunt, quam Episcopi praedicant, quam Episcoporum » Conventus sanciunt, quam Oecumenicum Concilium » veneratur, quamque Petri Successores, ac Christi Sal- » vatoris Vicarii sibi delegisse videntur, ut eam excole- » rent, illustrarent, tuerentur, et omnibus quibus possent » modis promoverent, uberrimaque luce perfunderent? » hujusmodi vero neque alia est sententia, qua immacu-

(1) Op. cit. in Proleg. n. 17.

» latus Deiparae Conceptus proponitur atque tenetur ». Quibus sane verbis et omnia piae sententiae fundamenta complexus est, et ea deinceps naviter ac perspicue persequitur, ut paucis rem totam perstrinxisse videatur. Verum, ut dixi, nostris hisce temporibus, postquam ex universis Catholici Orbis plagis Episcopi et suo, et Diaeceseos cuique concreditae nomine, anthenticum ac pene unanime de pia sententia testimonium Maximo Summoque totius Ecclesiae Pontifici reddiderunt: et praesertim edito jam solemni definitionis decreto, in disputationem rursus adducere quaenam fuerit Ecclesiae sententia, ita supervacaneum est, quam quod maxime. Hoc igitur praetermisso, quaenam genuina fuerit Dominicani Ordinis opinio ante definitionem, aliquanto uberius inquirere haud taedeat. Dixi: *ante definitionem.* Ea enim pronunciata, jam non de opinione agitur, sed de fide.

§. II.

24. Non pauci recensentur auctores tum extranei, tum ex ipsa Praedicatorum familia, qui sive ex professo, sive aliud agentes, hanc sibi provinciam assumpserunt: quos inter, unum item et alterum mihi familiaritate quadam conjunctos tacitus praeterire nequeo; videlicet Cl. Michaelem Thomam Salzano, nunc Tanensem Antistitem: et P. M. Marianum Spada. Quorum ille in celebri, quem edidit, libro in Ecclesiasticam historiam; hic vero in laudato opusculo, quod inscripsit = *Esame critico sulla dottrina dell'Angelico dottore S. Tommaso di Aquino circa il peccato originale relativamente alla B. Vergine Maria* =

allatis et conlatis ad invicem plurium operum textibus, adstruere satagunt a pia sententia nefas fuisse etiam pridem Ordinem nostrum excipere. Id quod jam antea P. Benedictus Piazza S. J. propugnandum duxerat, Ordinem videlicet Sancti Dominici fidenter pronuntians = *a pio communique fidelium sensu excludendum non esse* = (1); et nuperrime quidam ex filiis S. Petri de Alcantara (2), allata in medium triplici nostrorum divisione, hunc Apologiae conficiendae scopum se facilius assequuturum putavit. Cujus ego, licet non omnia probare possim (3),

(1) In libro, cui titulus = Causa immaculatae Conceptionis Sanctissimae Matris Dei Mariae etc.

(2) Della origine, progressi, e stato presente del culto e festa dell'Immacolatissimo e Santissimo Concepimento della grande Genitrice di Dio Maria, e della sua Dogmatica definizione = Ricerche Storico-Cronologico-Critiche per fr. Agostino Pacifico di Maria Addolorata Alcantarino.

(3) Non hic certe mihi proposui aliquem auctorem specialiter confutare, vel cujusquam opiniones singillatim distringere. Attamen speciminis loco mihi concessum sit ea referre, quae de triplici nostrorum divisione scriptor iste tradit, ubi ait (pag. 169 edit. Neapolit.) = Adunque tutti i sacerdoti Domenicani possono ridursi a tre classi principali = 1° A Maestri nell'Ordine e nel tempo stesso Laureati nelle pubbliche Università de' Studii, ed a tutti coloro, che con dati studii, e l'esercizio di determinate cariche . . . . . aspirano a siffatti altissimi gradi, PERÒ FAVOREVOLI all' immacolato Concepimento di Maria. 2° A Maestri approvati solamente nell'Ordine, ed a taluni Dottori antichi; cioè avanti che le Università obbligassero al giuramento di difendere il sacro Mistero . . . . . *e però contrarii* alla pia sentenza. 3° Finalmente ai così detti Coristi ecc. = Porro si haec verba strictius sumantur, indicari posset, quod ab auctoris tamen mente puto alienissimum, solam rationem extrinsecam, ut scilicet possint gradus

eruditionem tamen miror, ac grates quamplurimas refero de benigna illa voluntate, quam in familiam nostram ea de re vindicandam adhibuit. Caeterum operae fortasse pretium essem facturus, si per tempus et otium aliquando liceret loca, quae hinc inde afferuntur, critica lance expendere, quum fortasse indiligenter a pluribus id muneris susceptum fuerit; vel certe non tali solertia messis undique excerpta sit, ut uberes adhuc non supersint manipuli colligendi. Quia tamen id nec patitur temporis hujus ratio, nec operis, paucis quibusdam conclusionibus rem totam absolvere lubet.

25. Quarum prima ea sit, nuspiam inveniri, quod Ordo noster in sua, uti ajunt, totalitate, vel prout corpus quoddam morale sive sodalitium est, adversam illam praeservationis privilegio sententiam adoptaverit tamquam propriam, vel ut talem filiis alumnisque proposuerit unquam. Perlege, quaeso, jus scripto traditum, Constitutiones nempe, vel Capitulorum ordinationes, sive Generalium Magistrorum decreta quoquo velis diligentissime pervolvas. Numquid vel unum verbum reperies, quo suspicari liceat vel jussos aliquando Fratres, ut maculatum Virginis Conceptum tenerent, vel privilegia his concessa, vel poenas e contra piam sententiam tuentibus constitutas, vel ali-

adipisci (vel potius Cathedras) in publicis Athenaeis, Theologos primae classis in piam sententiam adduxisse, quod esset causa et ratio omnino humana, nec cum vera animi persuasione quidquam commune praeseferret. Verum quidem est quotquot juramento in Academiis piam sententiam professi sunt, esse inter ejus defensores adnumerandos: sed non exinde sequitur alios contrarium sensisse qui intra Ordinis septa gradus Academicos obtinuere.

qua hujuscemodi, quae authentica Ordinis testimonia prodere possint? Minime sane. Adeoque Natali Alexandro facillime consenties, qui obtrectatoribus respondebat (1) « Numquid haec Ordinis Praedicatorum sententia est? » Numquid gloriae Ordinis serviunt, qui illam tuentur? » immo serviunt maxime qui illam impugnant ». Hactenus ille: quod quidem in primae assertionis probationem satis dictum sit.

26. Altera sequitur assertio, nunquam defuisse a nostra Familia quamplures strenuos ac gnavos Mariani privilegii propugnatores. Hos singillatim percensere, et per classes quasdam de saeculo in saeculum distribuere, et longum foret, et inutile. Si enim nuda nomina recitarem, vel textus, prout jacent, et a pluribus afferuntur (2), denuo exscriberem, nonnisi ad voluminis molem augendam acta agerem, quod vetamur veteri proverbio. Sin autem his minime contentus, vellem contextum diligentius expendere, inter sese conferre, et ad criticae leges exigere, quod non semper nec ab omnibus praestitum esse jam dolui (3), nimis longe digrederetur oratio mea. In-

(1) In hist. Eccles. saecul. XV. et XVI. diss. VI. att. VII.

(2) Id praestitit nuperus Auctor, de quo memini in superiori adnotatione. Id etiam in citato opusculo brevius perfecit P. M. Marianus Spada; ut sileam de vetustioribus.

(3) Ut uberius pateat me nolle cum quoquam inimice contendere, sed pacifice meam aperire sententiam, hujus defectus, quod dixi non externum, sed domesticum proferam exemplum a praelaudato Patre M. Spada depromptum, qui de Patre Vincentio Contensonio haec scribit N. 98: = Il pio e dotto Vincenzo Contenson . . . . . sebbene in ossequio ai Pontificii decreti non voglia

ter haec duo, media quadam incedens via, et fundamentis jam per alios constitutis inhaerere constitui, et quibusdam meis, quaecumque tandem sint, observationibus communire. Homines non tam numerandos esse, quam ponderandos, ratio docet, confirmat auctoritas. Suspiciendae igitur ante omnia qualitates Virorum, qui ex Ordine quidem nostro ut immaculati Virginis Conceptus defensores proponuntur: expendendae vero ex triplici titulo, Sanctitatis, Dignitatis, Doctrinae. Ex titulo profecto Sanctitatis eminet, atque agmen ducit Beatissimus ipse Dominicus Ordinis nostri parens eximius, quem piae sententiae ex tunc ad-

determinare il tempo della Santificazione di Maria, le sue parole però mostrano sufficientemente come egli pensi in proposito. Di fatto così si esprime: = *Primo considerandus est status gratiae nascentis, seu excellentia gratiae quae illi primo collata est in utero B. Annae (non disputo utrum in primo, vel secundo instanti, propter reverentiam Apostolicis S. Sedis Constitutionibus debitam), quae certe prima gratia tanta fuit, ut crediderim Mariae primam gratiam ibi incoepisse, ubi aliorum omnium gratiae desinunt etc.* = Verum si ille silet ob reverentiam debitam Apostolicis decretis, non videtur piae sententiae adhaesisse. Vetabaturne a Pontificibus Beatam Virginem a primo instanti Conceptionis immaculatam pronunciare? Nunquam sane id audivi. Poterat ergo libere Contensonius piam propugnare sententiam. Quod si non fecit, et quidem in Apostolicae prohibitionis obsequium, non videtur, saltem ex hoc textu nude spectato, posse vir aliunde piissimus Mariani privilegii patronis accenseri. Sed haec obiter dicta sint: quibus illud maxime addendum, multo gravius errasse piae sententiae hostes, dum levissimis saepe conjecturis ac textibus per vim distortis vel in pejorem sensum interpretatis, asseclarum numerum augere studuerunt. Quod si in critices regulas peccandum fuit, praestat certe in bono sensu atque pio, quam in adverso peccasse.

stipulatum esse non spernendis rationibus suadetur (1). Accensetur quoque vir thaumaturgus Vincentius Ferrerius, cujus verba licet meo judicio minus perspicua, ad pium sensum hunc facili negotio accomodari queunt (2). Sed clariora sunt, ut caeteros omittam, et quae nulla tergiversatione eludi possint, verba S. Ludovici Bertrandi, quibus tradit apertissime animam Virginis = *quando corporis possessionem primum adivit, nullius peccati originalis sorde fuisse conspurcatam* = et obtinuisse = *maximum illud gratiae beneficium, quo ab originali labe praeservata fuit* (3). Jam dignitatis titulo duos Ecclesiae Pontifices Maximos exhibeamus; Sanctum Pium V, qui inter Baji propositiones hanc ordine 73 Apostolico stigmate confixit: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum* (4). Et Benedictum XIII scholae suae Thomisticae, et Ordinis, quem professus fuerat, peramantissimum, et qui tamen Pontificia dignitate auctus immaculatae Conceptionis devotos gratiis, privilegiis, indulgentiis magis magisque in pia sententia obfirmare, atque inflammare haud unquam praetermisit. Ratione tandem doctrinae quatuor tantum

(1) Dissert. polemic. Card. A. Lambruschini de immaculata B. Virginis Conceptione. N. 44.

(2) Citantur ab Alcantarino Auctore pag. 644.

(3) Sermone super thema *de qua natus est Jesus.*

(4) Non sum nescius per hoc noluisse Pontificem Sanctissimum tunc definire Immaculatum Virginis Conceptum; poterat enim Baji propositio jure damnari, quin ea quaestio dirimeretur. Sed quis inficiari poterit novum ex hac damnatione pondus aliquod piae sententiae accessisse?

speciminis loco e veteribus notioribusque heic adducere decrevi; Ambrosium Catharinum omnibus notissimum, qui ingenio vivaci ac fervidiori stylo utens tum in caeteros aliis de rebus, tum in gregales quosdam suos de hac quidem controversia ad pia sententiam tuendam acriter decertavit (1). Joannem item a S. Thoma, Theologum acutissimum, et angelicae doctrinae studiosissimum, qui in Complutensi Academia primarius quondam Theologiae Professor, ac Supremus fidei Censor, Philippi IV Hispaniarum Regi a confessionibus fuit. Ven. dein Seraphinum Capponi a Porrecta, cujus in Divi Thomae Summam Appendices plurium adhuc teruntur manibus. Ac demum Natalem ipsum Alexandrum, quem nemo certe suspicatus fuerit in piam sententiam adductum fuisse ex nimia in Apostolicam Sedem (si nimia unquam esse posset) reverentia, et tamen illi mordicus adhaesit, auctorque fuit ac suasor fratribus suis (2), ut = depositis contrariae sententiae praejudiciis, (quam *antiquam*, et *antiquatam* jam tempore suo appellare non dubitat) = « Communem, piam, et Ecclesia- » sticam sententiam, ac devotionem erga immaculatam Dei- » parae Virginis Conceptionem amplectantur, praedicent, » ac propagare studeant ». Cujus quidem prudentissimum consilium plurimi complexi sunt: utinam omnes!

27. Quod si aliquis regerat id ab ipso dictum, et factum esse eo quia Parisiensis Doctor renunciatus piae sententiae tuendae sese jurisjurandi religione, juxta illius

(1) Plures libros edidit ad hoc Virginis privilegium ex professo defendendum.

(2) Hist. Eccl. saecul. XIII et XIV. Cap. 3. Art. 23. Schol. IV.

facultatis legem, atque morem obstrinxerat, non admodum repugnabo; quum ob id argumenti propositi vim non minui censeam, sed augeri. Principio enim constat non paucos (tresdecim nempe) Dominicani Instituti Theologos Academiae illius celeberrimae tunc temporis Doctores extitisse, coeterisque Professoribus adstipulatos, quum neminem ex tunc nisi emisso hoc juramento, in facultatis ipsius gremium recipi posse sancitum est. Deinde cum temporis lapsu hanc consuetudinem atque legem adoptaverint celebriores aliae Orbis Academiae, in quibus ferme omnibus non pauci ex Nostris vel doctorali infula, vel docendi munere inclaruerunt, pronum est bifariam argumentari, tum de individuis, tum de Ordine. Et de individuis quidem abunde colligitur in ea interna ac veraci illos fuisse animi sententia; quam extrinsecus prolatis juramenti verbis se retinere profitebantur; nisi dicamus viros religiosos, ac pios id mendaciter perfecisse, quod veluti ab Euripide traditum Tullius recitat (1) = *juravi lingua, mentem injuratam gero* =. Si autem tunc quum proferebant jurisjurandi formulam id vere sentiebant corde, quod ore pronunciabant, cum exploratissimum alias sit non ut vestes, ita opiniones pro lubitu repente exuere quempiam posse, atque mutare, jam invicta deductione infertur eam jampridem eorum mentibus inhaesisse doctrinam, quam proinde non alias, nec alibi quam in claustris scholisque nostris hausisse putandi sunt, ut quod sine fictione didicerant, postmodum coeteris sine invidia communicarent. Ex parte vero Ordinis, vel ex hoc solo sine am-

(1) De Offic. Lib. III. Cap. XVIII.

bagibus colligi fas est numquam contrariam sententiam adoptasse ut suam, vel quacumque ratione eam fovendam suscepisse. Alias nonne velut a Thomisticis castris transfugas habuisset quotquot tam solemniter sese astringerent ad doctrinam Ordinis proculcandam? Quomodo e contra eosdem et in praetio semper habere potuit, et tironibus legendos tradere, et veluti Ordinis luminaria laudibus plurimis celebrare? Haec luce clarius evincunt nonnisi per calumniam potuisse unquam affingi integro Ordini, quod vix privati cujusdam proprium fuit. Fingamus enim, si placeat exempli causa ariolari, quamdam alicubi facultatem Theologicam extitisse, quae nec pateretur Thomistarum systema circa Dei gratiae auxilia in scholis suis propugnari; imo ad illud refutandum interposito jurisjurandi vinculo Professores omnes adigeret. Quaero: num consentiret Ordo cathedras regendas ea conditione suscipere? Non arbitror sane. Eccur e contra suscepit, ubi actum est de oppugnanda totisque praecordiis aversanda maculatae Conceptionis sententia? Quia nimirum primam illam, non item alteram agnovit ut suam. Verum his praetermissis, jam tempus est ut pergamus tertiam assertionem proponere.

28. Videlicet utriusque sententiae defensoribus, qui diversis apud nos saeculis hinc inde prodierunt ad numericam supputationem conlatis, ampliorem, Deo favente, extitisse eorum numerum, qui privilegio Virginis nobilissimo faverent, quam qui adversarentur. Cujus rei vadem damus gravissimum S. Alphonsum de Ligorio (1), coete-

(1) Brevis dissert. super censuris circa immaculatam B. V. Conceptionem = Haec adjecta reperitur tractatui de censuris in ejus

rosque qui recentius scribentes, et molliori, qua poterant, significatione plurium auctorum verba, seu commata interpretantes, multo etiam auxerunt faventium numerum, adversantium minuerunt (1). Quidquid porro sit de singulis quos seorsim expendere non vacat, dum vere illi numero excesserint, ex hoc facto novum licet superstruere in rem nostram argumentum. Si cujusque hominum societatis genuinam opinionem non vulgi clamoribus, nec a privatis quibusdam sodalibus argui par est, verum a majori, et meliori parte desumenda, quum supputatis auctorum nominibus, qui affirmant praevaleant tum numero, tum pondere negantibus (de Angelico enim Doctore dicemus postea), ex illis profecto, non istis, germanam, etiam vetustis temporibus, opinionem Ordinis dijudicandam esse non sine optimo jure contendere videmur.

§. III.

29. Quia tamen impossibile fuerit, et libros destrui, et historiae illius monumenta perire, nec veritas quoque patitur ut negemus e scholis praecipue nostris majorem

Theologia Morali =. Consonant quae tradit in opere inscripto = *Glorie di Maria* =. In primo tamen enumerat 137 ex nostris, qui piae sententiae subscripserint, in altero vero nonnisi 136. Sed vel hic typographicus error habendus est, vel unius discrimen ferme pro nullo quoad effectum et scopum hujusmodi supputationis esset reputandum. — Vide Theolog. Moral. Edit. Bassani, anni 1847. Et librum = *Le glorie di Maria* = pariter Bassani impressum anno 1845.

(1) Vide P. Augustinum Pacificum, opere citato praesertim pag. 699 seq.

relative numerum adversantium prodiisse (relative inquam, ad sacras alias, quae in Ecclesia florent, societates); idcirco hujus facti non abs re erit investigare causas, atque veluti ad trutinam revocare, non ut caecam defensionem eorum suscipiamus, quos re nondum discussa ac definita errasse compertum est, sed ut nobis sternamus iter ad alias demum conclusiones, quas volumus, eliciendas.

Ac prima, praecipua, ac ferme unica, ad quam caeterae reducuntur causa, fuit insita pluribus persuasio de negato ab Angelico Doctore immaculati Deiparae Conceptus privilegio. Cui affinem aliam praetexebant, juramentum videlicet a nostris emitti solitum dum Lectoratus vel Magisterii gradum ac munus adipiscuntur, de sequenda fideliter ipsius Aquinatis doctrina. Tertiam addimus ex aemulatione quadam inter scholas et scholas; et item quartam, quae postrema est, ab ipso vulgaris incusationis effectu depromptam. Singula seorsim expendamus.

30. Nolumus hoc sane loco eam praeoccupare controversiam, quae de vera Divi Thomae mente jamdiu exardescit, a nobis inferius data occasione discutiendam. Sed illud nemo inficias iverit, specie tenus saltem, prout verba sonant, et juxta vulgarem interpretationem reapse in Theologicae Summae notissima illa 27 tertiae partis quaestione, ea proferri, quae vix piae veraeque sententiae cohaerere posse videantur: adeo ut ii ipsi, qui laudabili contentione certarunt in iis locis aliter exponendis, sincere tamen plerique fassi sunt rem sese vigiliarum atque laboris plenissimam suscepisse. Quod ergo in tanta rei, primo saltem adspectu, ambiguitate, discipuli nonnulli vulgatam magistri et lectionem et interpretationem retinere malue-

rint, si quis errasse eos dicat, non ausim equidem cum iis jurgio contendere: at si ob id incusare eos placeat vel malitiae vel impietatis, vix ferre potero patienter. Etenim etiam nunc edito fidei decreto non vetamur, quod equidem sciam, in ea perstare mentis persuasione, praeceptorem Angelicum aliter docuisse, dummodo simul innocenter eum deceptum habentes, debita cum reverentia in fidei obsequium, ac Sedis Apostolicae obedientiam hac quidem in re lubenti animo dimittamus (1). Quanto ergo minus peccabant qui nondum pronunciata definitione, eumdem hoc sensu interpretarentur? Hac porro interpretatione supposita, pronum erat quibusdam illud inferre, eo quod discipulus non sit supra magistrum, nec magistri debeat sententias corripere, sive emendare, sibi fuisse ne lato quidem ungue ab Angelici opinionibus, quaecumque tandem illae fuerint, discedendum. Tanta etiam, tamque illustris praeceptoris celebritas et inclita fama magis magisque commovebat ut id facerent. Ac demum nitebantur legibus illis ac statutis, quibus majores nostri ad Angelicae doctrinae sequelam adstrictos nos esse voluerunt: inter quae speciminis causa, decretum Capituli Generalis Romae habiti anno 1629 heic placet percensere in haec verba « Confir-

(1) Nemo certe dixerit definitionis dogmaticae veritatem dependere a privati cujusque Doctoris sententia. Cum igitur Ecclesia dogmaticam quidem finierit quaestionem, sed de vera divi Thomae mente, ne addiderit quidem verbum, haec posterior disquisitio adhuc criticae Theologorum disputationi permittitur, qui tamen adiguntur, si catholici esse volunt, vel interpretari eum in pio sensu nunc definito, vel ejus doctrinam in hac quaestione repudiare.

» mamus ordinationem alias factam, ut Magistri omnes, » Lectores, et Praedicatores, tam verbo quam scripto » S. Thomae Doctoris nostri doctrinam in omnibus fideli- » ter sectentur ac tueantur: nec ab ea recedere sub poena » privationis quorumque graduum ac officiorum, perpetuae » inhabilitationis ad ea recuperanda, sub quovis praetextu » audeant. Propterea etiam confirmamus, et inviolabili- » ter observari mandamus, quod alias statutum est, ut in » institutione quorumcumque Magistrorum, Baccalaureo- » rum, Lectorum, ac Praedicatorum teneatur quilibet ad » hujusmodi gradus et officia promotus immediate post fi- » dei prolatam professionem jurare se S. Thomae Aquina- » tis doctrinam in omnibus sectaturum (1).

31. Haec porro nemo suspicetur a me dicta esse, ut contrariam jamdiu profligatam de maculato Virginis conceptu sententiam, allatis in medium probabilibus seu rationis, sive auctoritatis ponderibus adhuc subdole satagam quoquo modo fulciri. Quid enim a mente mea, hujusque operis scribendi consilio alienius esse potest? Fateor equidem lubentissime, ac paulo inferius data opera propugnabo, Divi Thomae auctoritatem nihil obfuisse, vel officere debuisse quin piae opinioni omnes faverent; postquam praesertim unanimi ferme eam Ecclesiae consensione ac devo-

(1) In Collectione Constitutionum, Declarationum, et Ordinationum Capitulorum Generalium S. Ordinis Praedicatorum ab anno MCCXX usque ad MDCL concinnata a P. Vincentio Maria Fontana, titulo = De Doctrina S. Thomae = adferuntur duodeviginti decreta hujusmodi, quibus nostri tum Lectores tum Studentes Angelici doctrinae amplectendae, ac propagandae devinciuntur. Vide si lubet.

tione obfirmatam conspicerent, cujus consuetudinem esse in omnibus aemulandam, ac cujusque etiam sanctissimi sapientissimique Doctoris auctoritati praevalere, praeclarum ipsiusmet Angelici effatum est, atque doctrina (1). Aliquam tamen, nisi fallor, a discretis ac prudentibus viris sive indulgentiam, sive excusationem ea de causa nanciscentur. qui ex veteribus, non animo quidem contradicendi Mariae privilegiis, atque gloriae ejus obscurandae (quod suspicari nefas est), sed ardentiori tantum studio pressius, ut jactabant, in singulis praeceptoris insistendi vestigiis, permoti sunt, ut in re adhuc Ecclesiae judicio nondum plene dirempta, sententiam tuerentur illam, quam modo dubio procul et falsam, et catholicae fidei pugnantem nobiscum uno ore aversarentur. Si enim cujuslibet scholae proprium fuit umquam Magistri auctoritatem, ut domesticam gloriam, et thesauro quolibet praetiosiorem vel a naevo quidem, ac minima incusatione defendere, adeo ut de quibusdam me legisse meminerim dicere solitis, malle se cum Aristotele errare, quam veritatem complecti cum caeteris; quid mirum si tantum Magistrum divina Provvidentia assequuti, omnia illius verba, ceu oracula quandoque excipientes, ne apicem quidem auderent non veritati plene consentientem suspicari, et ab ejusdem doctrina vel minimum desciscere (2).

(1) 2. 2. q. 10. art. 12.

(2) De facto loquor, non de jure. Nam quid hac de re ego quidem sentiam, et quibus limitibus comprehendi putem eam quam discipuli magistro debent reverentiam, ac sequelam, dicam inferius.

32. Idque eo magis addito, de quo diximus, juramento, quod cum generali formula, sine exceptione ulla, emitti consueverit, morosis quibusdam anxiisque hominibus occasio esse potuit, ut in eam concederent, quam arbitrabantur (jure ne, an injuria, dicemus postea) propriissimam esse Aquinatis Doctoris sententiam. Non satis nempe recogitantes, hoc etiam dato, irritam fore, quam eliciebant, conclusionem: cum exceptio in ipsa rei indole, ac natura delitesceret, nec quisdam rato jurisjurandi vinculo se se unquam obstringere potuisset ad hoc, ut quamquam nondum tunc fidei oraculo consecratae, piae tamen, ac in Ecclesia jam communissimae, nec non Deiparae Virgini honorificentissimae sententiae refragaretur. Numquid enim fedifragi, ac violatae religionis rei censendi fuerant, qui singulari pietate ferventes insigne hoc Virgini decus adserere maluerunt? Vel etiamne contradictoria, ac invicem pugnantia juramenta praestitisse incusabimus eos, quos diximus, qui utrinque et Divi Thomae discipulos in Ordine, et in Academiis sese futuros polliciti sunt immaculati privilegii defensores? Minime sane, ubi rei veritatem spectes. At si de opinione sermo sit, quisquis se plane hospitem non fateri velit in humani cordis notitia, non sane mirabitur aliquid semper, usquedum res non esset Ecclesiae voce composita, in praxim influere potuisse, ut quidam nempe vel ancipitem, vel etiam adversam, hoc praetextu allato, pergerent mentis retinere sententiam. Rem acu tetigit pro ea, qua fulget, sapientia Sacra Rituum Congregatio, cui quum occasione additionis, quam impetraverat pro Ordine nostro P. Generalis Ancaranius vocis *Immaculatae Conceptionis,* nec non Octavae Solemnis, inter caetera dubia, hoc

numero quintum fuisset propositum « An hoc ipso praece- » pto (celebrandi Octavam Solemnem et vocem *Immacu- » latae* in praefatione missae adjiciendam) etiam *adstrin- » gerentur* ii omnes, qui *sentirent* Beatam Virginem conce- » ptam fuisse in culpa originali, et illi qui jurejurando » adiguntur ad sectandam doctrinam Sancti Thomae Aqui- » natis, supposito quod Angelicus Doctor tenuerit Bea- » tam Virginem incurrisse in anima culpam originalem ». Respondit illa « *Affirmative, et quatenus opus sit consulen- » dum Sanctissimo pro absolutione* ». Quod reapse cum perfectum fuerit, Sanctitas Sua omnia probavit, ac observari praecepit, *omnes et singulos* (verba sunt ipsissima decreti) *quatenus opus sit, ab emissi juramenti vinculo absolvens et eximens* (1).

33. Quibus verbis non equidem abutar, ut contendere ausim hanc Pontificis relaxationem ita necessariam fuisse, ut sine ea nefas foret vel jurisjurandi religioni repugnaret, piam ipsos tueri sententiam. Patet enim, ipsaque loquutionis formula conjicitur, id per quamdam oeconomiam esse factum, sive ut ajunt, *ad cautelam.* Fatendum tamen id non sine eximia Apostolicae Sedis benignitate ac sapientia contigisse, ut nempe, quae potuisset juramenti illius vinculum, quoad hanc quidem specialem quaestionem, irritum plane ac nullius roboris declarare, maluerit potius hypothetica relaxatione dirimere *(quatenus opus sit),* ut omni

(1) Decretum hoc adfertur a cl. P. Perronio in calce ad librum = De Immaculatae Virginis Conceptu = tamquam Appendice, quae complectitur *Monumenta spectantia ad Ven. Ordinem Praedicatorum.*

semota scrupulis ansa, atque timoribus, et filiorum simul prospiceret conscientiae, eorumdemque decori materna pietate consuleret.

34. Ut autem eo, unde tantisper discessit, redeat oratio mea, in eo quosdam errasse perspicuum est, quod nondum expressam aliquam Ecclesiae definitionem intuentes, non aliam, quam scholasticae disputationis speciem, ac veluti colorem quaestioni huic affixerunt: ac proinde rati salva fide ac pietate in utramque partem disputari posse, ea contentione ac pene dixerim acrimonia pro ea parte, quam tuendam susceperant, dimicare coeperunt quasi esset Ordini propria, ac de ejusdem scholae in alias praeeminentia vindicanda, vel abjicienda ageretur. Sua est autem ut individuis, sic et coetibus (Corpora Moralia vocant) φιλαυτία quaedam seu proprius amor, quo exortis externis litibus animisque in praelium concitatis, veritatis quidem tuendae se amore duci putent, sed reapse pugnent cupiditate victoriae. Quam quidem scholarum aemulationem, si debitis concludatur finibus, nec fructibus vacare censeo, nec omnino improbandam, quum attritu, si ita loqui fas est, quemadmodum e silice ignem, sic disputatione verum facilius elici, ipsa rerum magistra experientia demonstret. Sed modus est adhibendus, ne personas incessere, non errores videamur. Quod in ea disputatione, de qua loquimur, non semper factum esse, testem profero locupletissimum Petavium sic inquientem (1). « Quae qui-
» dem quaestio (de Immaculato Virginis Conceptu) postre-
» mis hisce temporibus acrius exagitari coepit, et majores

(1) Theol. Dogm. tract. de Incarnatione Lib. XIV. Cap. II.

» in quibusdam impetus excitavit animorum, quam bene » consulta ac provisa ratio pateretur, adeo ut in partes et » factiones, atque identidem in simultates ac propemodum » internecia odia vis contentionis et ardor eruperit ». Haec autem non eo spectant, ut in alienos culpam hanc, vel defectum conferre velim, vel ut nostros defendam, caeteros accusare. Fateor enim aperte, ac profiteor ad hanc invidiam declinandam, meliorem fuisse hac in re eorum conditionem, qui veritatem Virgini Matri gloriosissimam sibi defendendam assumpserant. Fateor rursum acriorem hanc concertandi acerbitatem fuisse non omnium sed paucorum (1), nec unius partis tantum, sed utriusque. Fateor pariter feliciter jamdiu obsolevisse asperum illud ac pertinax pugnandi genus, quo ἀδιαφόροις quaestionibus, liberaeque opinioni permissi, facillimum erat veritatis quaerendae obtutu laedere caritatem. Fateor denique illam, quae ad Virginis a qualibet culpa praeservationem refertur sententiam, etsi quondam inter scholasticas haberi potuerit, jam tunc *materialiter,* ut ajunt, ad catholicae doctrinae pertinuisse depositum, dein vero, crescente in dies fidelium devotione et manifestata uberius Ecclesiae propensione, jamdudum stricta scholasticae opinionis confinia praetergressam in majorem etiam certitudinis lucem ac robur sensim ac sensim succrevisse. Attamen cum homines simus, et nihil humani alienum a nobis putari debeat,

(1) Tum quia plerique modestiae ac gravitatis leges haud certe praetergressi sunt; tum quia (ut dixi) plures Thomistae nedum in adversum praelium descenderent, lubentissime e contra in Immaculati Conceptus defensorum castris adscribi, iisque sub vexillis pugnare ceu voluntarii milites voluerunt.

nemo mihi jure succensebit, si illam scholarum aemulationem modumque in quaestione agitanda utrinque adhibitum primis illis temporibus, inter causas recensere non dubitaverim, cur nonnulli timentes ubi non erat timor, difficilius a praeconcepta opinione dimoverentur.

35. At postrema tandem investiganti mihi alia causa succurrit, non gravis illa quidem, ubi in se spectetur, sed in ordine tamen ad practicum rei effectum haud fortasse levissima. Sed illud in antecessum juverit in mentem revocare, ne unum quidem ex illis, qui florenti aevo accedunt habitum Ordinis postulaturi, aliquid jam imbibisse, vel ne suspicatum quidem esse de contraria immaculato Conceptui sententia. Cum enim ita pervulgata imo et unanimis persuasio vigeret, Mariam cujusque primigeniae labis expertem, ut nulla e christianis familiis mysterium illud vel ignoraret vel respueret, pronum est colligere hanc veluti cum lacte infantulos pridem hausisse sententiam, ac gestasse tenellis cordibus insculptam. Quod contigisse mihi non sine quadam animi voluptate recogito, et ferme auribus adhuc mihi resonare videntur voces illae, quibus functiones quaeque sacrae in meae patriae templo de more absolvebantur dulcissimo mysterii hujus salutatione (1). Quorsum igitur, vel qua occasione a praeconcepta hac sententia quemquam abscedere contigisset? Forsan quia in scholis nostris adversae opinionis principiis illico imbue-

(1) In ecclesia videlicet Parochiali Cambiani, quod sub Taurinensi Archidioecesi haud exiguum oppidum est, consuetudo jamdiu vigebat, peractis sacris functionibus, illud cani dulcissimum Virginis epicinium: *Sia benedetta la Santa ed Immacolata Concezione della Beata Vergine Maria.*

rentur? Nequaquam sane. Ut enim praeteream quaestionem illam, quae ad tacendi debitum ac legem referri poterat (1), proprio et diuturno experimento didicisse me testor, ne semel quidem, quamdiu a pluribus annis Dominicanis in claustris commoratus sum, verbum ullum audivisse expresse prolatum, sive in piam sententiam, refellendam sive in adversae opinionis tuitionem. Quidnam ergo molles, teneras, ac flexibiles adolescentum mentes allicere quandoque potuisset, ut nonnulli forsan a primaeva persuasione deflecterent? Non aliud maxime, ni fallor, quam qui passim eorum auribus personabant vulgi rumores. Audiebant enim sibi quandoque ad nauseam usque repeti: Ordinem nostrum diversimode opinari: Thomisticam Scholam aliud docere: acriter a nostris in alterius Scholae asseclas fuisse quondam dimicatum: ceteraque hujuscemodi, quae possent juvenilibus animis aemulationis igniculos incendere; atque magis magisque vel serere sive alere persuasionem non unius vel alterius, verum Scholae et Ordinis placitis sententiam illam esse accensendam. Quamobrem hac opinione innixi, ac Scholae florentissimae, cui se adscriptos gloriabantur, fama permoti, nonnulli fortasse juniores inexperti sibimet persuadere potuerunt, nihil cedendum fore,

(1) Cum potestas facta fuisset Dominicani Ordinis Alumnis a Gregorio XV ut possent inter sese tantum de illa quaestione tunc nondum definita utrinque disputare, quibusdam visum fuerat non eam unquam fuisse revocatam, aliis e contra dicentibus per Alexandri VII decretum hanc penitus facultatem fuisse ademptam. Haec autem quaestio, definito nunc dogmate, supervacanea jam foret et otiosa. Qui enim licuerit adversus fidei dogma disserere vel disputare?

et hac solum via gloriosam nominis, atque honoris veluti haereditatem esse conservandam. De quibus Familia nostra illud poetae notissimum usurpare jure, meritoque potuisset: *non tali auxilio, non defensoribus istis* sese indigere, nec probrum esse veritati cedere ac consentire, sed potius eidem pertinaci animo obsistere.

36. Quatuor hucusque causas paucis prosequutus sum, quibus, me quidem judice, prodiit explicaturque ille quorumdam dissensus minori tamen numero quam fuerit vulgo putatum, qui etiam numerus ea decrescebat jugiter proportione, qua rei certitudo et veritatis manifestatio fulgebat in dies splendidius, adeo ut Ordo noster postremis hisce temporibus nemini inferior esse voluerit in edendis venerationis ac devotionis in mysterium suavissimum argumentis.

§. IV.

37. Et consulto de aucta rei certitudine meminisse placuit, quia etsi veritas per se quidem eadem semper ac immutabilis perseveret, ejus tamen manifestatio ita clarius innotescere potest, ut melius profundiusque expensis rationum momentis, per diversos gradus ad maximum certitudinis verticem assurgere possit, addito praesertim, ut nunc, infallibili Ecclesiae testimonio atque auctoritate. Quamdiu ergo non ita perspicue Ecclesia quid in hac re sentiret, adhuc ex festivitatis institutione et frequentatione precum, atque tam opima indulgentiarum largitione patefecerat, licet vera semper fuerit pia sententia, et divinitus revelata, non tamen aeque certa omnibus illico apparebat. Quum vero deinceps spontaneo, fervido, unanimi Christifi-

delium sensu, pastoribus nedum non repugnantibus, imo et praeeuntibus, ubique terrarum ita devotio illa atque opinio percrebuit, ut veram eam universalis Ecclesiae sententiam nemo sanus quiverit amplius in dubium adducere, quis ausus eam fuisset ex tunc in erroris suspicionem revocare? Nonne ex Pastoribus fidelibusque simul sumptis Ecclesia conflatur? Nonne ob id haec a S. Cypriano definitur = *Plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens?* (1) =. Quo pacto igitur Christus qui sponsae suae pollicitus est se usque ad consumationem saeculi adfuturum eam ita deseruisset, ut in quaestione non levis utique ponderis, eam ubique dispersam permiserit errasse? Jam itaque vel ante editam dogmaticam definitionem, id ita erat in promptu, ac ea certitudinis luce perfusum, ut nefas fuisset, vel parum quidem decere videretur, Ordinem haud certe male de re catholica promeritum, quacumque adhuc contrarietatis suspicione laborare. Nec proinde tempore postremus (2), nec opere segnior adnisus est ut speciales in hoc mysterio concelebrando devoti animi sensus exhiberet, impetravitque prius, uti diximus, ampliorem cum Octava Solemni festi celebritatem, ac *Immaculatae* titulum

(1) Epist. 96.

(2) In Elencho II exhibito ab eodem Patre Perronio in prima Appendice, quo videlicet ordine chronologico Diaecesum, Ordinum Religiosorum, atque Ecclesiarum nomina describuntur, quibus indulta est adjectio vocis Immaculatae Praefationi in Missa Conceptionis B. M. V.; quum numerus earum usque ad tercentesimum assurgat, ab anno nempe 1834 usque ad 1847, Ordo Praedicatorum non sane tempore postremum locum occupat, et numero 192 recensetur sub anno 1843.

voci *Conceptionis* apponendum. Deinde vero Lauretanas Litanias novo additamento locupletandas, illa adjecta invocatione: = *Regina sine labe originali concepta etc.* =. Quam postremam, recentioremque a se obtentam concessionem Ordini universo hodiernus Generalis Vicarius renuncians his utitur verbis in encyclica epistola diei 16 Julii (1) « Cum » Ordo noster jure merito speciali B. M. V. patrocinio glo» rietur, filialemque erga Deiparam devotionem et amorem » profiteri et inspirare summopere semper studuerit, plu» rimi ex nostris valde exoptabant ut peculiarem illum » erga Immaculatam B. M. V. Conceptionem cultum, quem » velut fontem innumerabilium gratiarum universo Orbi » Catholico temporibus nostris Deus fieri voluit, etiam » Ordo noster publica professione amplecteretur, ideoque » jam *in variis Conventibus,* ut religiosorum simul et fide» lium pietati fieret satis introducta fuerat in Litaniis ejus» dem B. M. V. invocatio illa, piis auribus et cordibus » adeo grata: = *Regina sine labe originali concepta etc.* = » Crescente autem in dies numero eorum, qui talem ad» junctionem postulabant; Nos ut uniformes in observantia » Canonicae Religionis inveniremur, B. V. gloriae, Ordinis » decori, fratrumque, fidelium, et propriae nostrae devo» tioni consulere decrevimus, a SS. D. N. Pio IX P. M. » suppliciter efflagitantes, ut in Litaniis, post versum = *Re» gina Sanctorum omnium* = in Universo Ordine appone» retur aliud Deiparae encomium, nimirum = *Regina sine* » *labe originali concepta* =; ita tamen, ut nullimode inter» mittatur invocatio Ordini nostro propria = *Regina Sa-*

(1) Hoc ipso anno 1854.

» *cratissimi Rosarii* =; quae semper juxta morem ante » Agnus Dei *iterato recitanda sit.* Quibus votis libenter » annuens Sanctitas Sua, sub die decimatertia hujus men- » sis, Apostolicum indultum jam tot Dioecesibus et Regu- » larium familiis ad id concessum, pro universo Ordine » Praedicatorum extendit, ut deinceps in Litaniis Laure- » tanis Beatae Mariae Virginis tam privatim, tam publice » recitandis, in omnibus Ecclesiis Ordinis, et a singulis » utriusque sexus ejus alumnis, memoratum Deiparae elo- » gium dici ac recitari omnino debeat ». = Hactenus ille: cujus verba excribere ac recitare volui, quia non Ordine invito id se fecisse, sed suorum (qui *plurimi* dicuntur) suasione, impulsu, consilio profitetur, quorum idcirco nondum peremptorio edito Apostolicae Sedis decreto, piae sententiae devotam sinceramque adhaesionem nefas fuerit in dubium revocare: et qui proinde, si sibi ipsis constare velint, ut certe volunt, de emissa tandem dogmatica definitione summa animi gratulatione laetantur. Verum enim vero nec isto quidem, nec aliis privatorum hominum egemus testimoniis, quum nobis de amplissimo illo, omniumque gravissimo, jure meritoque gloriari fas sit, quod paterna plane clementia Pius Papa IX reddere non est dedignatus. Postquam enim (Litteris Apostolicis Cajetae datis die 2 Februarii anni 1849) gratulari sese maxime professus est = « De ardentissimo quod revixerat desiderio, ut ab » Apostolica Sede solemni tandem judicio decerneretur » Mariam omnium Matrem amantissimam absque labe ori- » ginali fuisse conceptam » = in hunc modum pergit Pontifex Sanctissimus = « Quod pientissimum desiderium clare » aperteque testantur atque demonstrant postulationes, tum

» ad eumdem Praedecessorem Nostrum, tum ad Nos ipsos » continenter perlatae, quibus et clarissimi Antistites, et » illustria Canonicorum Collegia, et Religiosae Familiae, » *inter quas inclytus Praedicatorum ordo*, certatim efflagi- » tarunt ut in sacra liturgia ac praesertim in praefatione » missae de Beatissimae Virginis Conceptione, vocem illam » *Immaculatam* palam publiceque enuntiare, et addere li- » ceret » =. Cum igitur caeteris Ordinem nostrum expresse conjungat Pontifex, quis ausus jam fuerit a communi pariter nos laetitia sejungere?

§. V.

38. Certe nedum quidpiam dolendum, immo et nobis definitionem hanc fuisse ardentioribus votis expetendam, fatebuntur omnes, qui serio expendant, quanti interesset medium tandem suppeditari omnino indubium ac tutum, quo certiores efficeremur non coetum tantum ipsum, verum et singulos ejusdem sodales ad unum omnes idipsum perpetuo sensuros, atque dicturos. Quod videlicet maximi momenti a cordatis viris atque prudentibus usque habitum est: quo tutius Ordinis universi decori, quieti, atque incolumitati perspicerent. Ac decori primum: quum ut corporum physicorum, sic et moralium pulchritudo in apta partium omnium cum toto consensione coalescat; et veterum effato, omnis pars non consentiens suo toto deformis sit. Quieti rursus ac paci, ne latente adhuc discordiarum germine, in apertas quandoque contentiones erumperet. Incolumitati demum, quae in tam pervicaci conjuratorum hostium nequitia, infandaque temporum perver-

sitate nonnisi plena, perfecta, atque compacta veluti cohortium omnium ejusdem exercitus cum caeteris ordinibus unitate sub intemeratae Reginae vexillo exurgere queat.

39. Sed specialem quandam ac potissimam causam praeterire nequeo, cur hanc plenam ac unanimem omnium conformitatem in hoc Immaculatae Conceptionis mysterio profitendo summopere cupiendam, immo plane necessariam fuisse arbitremur; ut scilicet in ejus tituli solemniis celebrandis, non externis tantum ritibus, sed spiritu quoque ac mente caeteris, universaeque Ecclesiae consentiamus. Nam Conceptionis illius festum a Romana, atque adeo universali Ecclesia, in sensu omnimodae praeservationis, primitus institutum, ac deinceps continenter Christifidelium veneratione frequentatum, si quis adhuc dubitaret, is in meridiana luce caecutire plane voluisset. Id enim ex verbis Sixti IV. eam festivitatem instituentis sua sponte colligitur (1): id ex prohibitione, qua vetitum fuit *Santificationis* vocabulum loco *Conceptionis* adhibere; id ex declaratione Alexandri VII illius festivitatis objectum *de immunitate ac praeservatione Virginis a qualibet labe in primo instanti, quo ejusdem anima creata est, atque in corpus infusa* apertissime, et sine ullis ambagibus interpretantis: id demum ex fidelium omnium persuasione, quos si vel ante dogmatis definitionem percunctari libuisset, ne interjecta quidem mora respondissent, sese

(1) Nota Sixti IV. Constitutio de *mira Virginis Conceptione* se loqui profitetur. Quid autem mirum habuisset Conceptio illa, si quum Corporis purissimi progignendi modus a communi caeterorum hominum ratione nullo essentiali discrimine abesset, etiam anima vel instanti quidem originalis noxae incurrisset reatum?

non Conceptionis nomen, sed rem, ac omnis quidem labis expertem ac purissimam venerari. Hisce praejactis, finge jam nunc quemquam adesse qui iisdem solemniis intersit, eosdem ritus adhibeat, eisdem precibus, eodemque invocationis titulo utatur, et tamen diverso sensu, qui nec re consentiat, nec cultus idem referat objectum, uti certe diversum quid, totoque caelo plane distans intercedit inter praeservationem, et liberationem, interque primigeniam puritatem, atque sequutam deinde maculae ablationem. Quid ergo continget? In uno eodemque templo, voces quidem omnes uniformi verborum strepitu junguntur, non mentis tamen sententiae; et hominibus quidem, qui vident ea quae parent, consensionis quaedam species sese extrinsecus proderet: sed caelitibus, ac Deo praesertim, qui intuetur cor, conspicua erit mentium dissensio. Utque brevius et nervosius dicam; illa demum unitas exhibebitur, quae Pharisaeis quidem in materialibus externisque ritibus praecipuam rei summam collocantibus sufficere potuisset, non tamen veris adoratoribus in spiritu, et veritate. Quod si dixerint congruere tamen, et consociari mentes in eodem substantiali objecto, ac potissimo fine persequendo, qui est Deiparam colere, precari, venerari, non admodum repugnabo. Sed numquid hoc satis esse arbitrabuntur? Numquid Ecclesia idcirco plures diversis sub titulis solemnitates invexit, ac praecepit filiis peculiaribus nominibus ac formulis precationum celebrandas, ut liberum tamen ipsis foret objectum hoc speciale pro lubitu sibimet, prout quisque voluerit, definire vel alio convertere? Satisfaceret ne piae matris jussibus ac votis, qui Deiparae ex. gr. coleret Assumptio-

nem, et positiva tamen animi intentione festivum ejusdem simul cum corpore in caelestia regna adscensum fateri ac venerari prorsus abnueret, licet id sibi recolendum proponat Ecclesia? Filios certe decet, non externa tantum matris vestigia persequi, sed internam praesertim in moribus, opinionibus, affectibus effigiem non oris sed animi exprimere, atque aemulari. Ac dum Pastores, Clerus, populusque universus plausus undique iterabant de profligata hostis nequitia, de protrito anguis capite, de optatissimo, ac gloriosissimo Virginis triumpho, nefas erat sane, me quidem judice, vel unum e filiis conticescere, seu aliam plane diversam, cladisque, si ita loqui fas est, *reparatricem* celebrare victoriam, quae cum prima illa nec objecti ratione omnino congruat, nec dignitate, gloria, splendore sit ei penitus comparanda.

§. VI.

40. Quae cum ita sint, patet evidentissime eo jamdiu res fuisse adductas, ut nedum Praedicatorum Ordo hanc definitionem ullo pacto aversari potuisset, immo, ut diximus, peculiari quadam ratione, atque urgentioribus de causis illi fuisse cupiendam. Haec enim expeditior erat, efficacior, ac certissima via, qua illico id assequeretur, ut palam atque apertissime de filiorum consensione, ne uno quidem excepto, et sibi tuto persuadere, ac coeteris indubium testimonium facere queat; atque ambagibus, praejudiciis, dubitationibus, si cuipiam adhuc inessent, (quod affirmare non audeo, nec vero possum) penitus sublatis, idipsum omnes in templis, in scholis, ubique

non dicerent tantum, verum et cogitarent. Alia siquidem media, quae pro diversa temporum ratione Pontifices ad pacem tuendam, ad evitanda jurgia, vel scandala adhibuerunt, praeclara quidem, ut solent, prudentia, atque opportunitate commendantur: sed non eo usque progrediebantur, ut quaestione penitus dirempta, omnes tuto atque efficaciter in eamdem sententiam copularent. Sixtus enim IV in Constitutione, quae incipit *Grave nimis,* vetuit quidem in piam sententiam aliquid scribi seu praedicari, sed decretum tamen his verbis absolvit. « Item simili » poenae ac censurae subjicientes eos qui ausi fuerint as- » serere contrariam opinionem tenentes ..... haeresis » crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum » sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sede decisum ». S. Pius V, quibusdam sub conditionibus de hac re disputari permittens, cavet tamen (Constitutione, cujus initium *Super speculam Domini),* ne alterutra *velut erronea praedicaretur.* Paulus V, in alia Constitutione incipiente *Regis Pacifici* prohibens in publicis actibus asserere Beatam Virginem in peccato originali conceptam, « per hujusmodi ta- » men provisionem, inquit, Sanctitas Sua non intendit » reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus » praejudicium inferre etc. » Hanc legem porro Gregorius XV ad privata etiam colloquia extendit « exceptis » tamen, quibus a Sede Apostolica fuerit nuper hoc spe- » cialiter indultum ». Ut revera ab ipsomet Pontifice Dominicanis concessum fuit « ut de caetero in quibuscum- » que privatis etiam colloquiis seu conferentiis, inter se » dumtaxat et non inter alios, nec cum aliis de materia » ejusdem Conceptionis B. M. V. disserere ac tractare

» absque ullo poenarum incursu libere ac licite *possent* ». Ipsemet tandem Alexander VII, quo nemo antea praeclarius in Beatae Virginis privilegium hoc gloriosissimum commendandum fuerat eloquutus, postquam, notissima Constitutione quae exorditur *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, vetasset omnino etiam privatim quidpiam eloqui adversus Deiparae a culpa originali praeservationem, adeoque, juxta plurium sententiam, speciale etiam indultum a Gregorio XV Fratribus nostris concessum revocasset, subdit tamen, caeterorum more: « Vetamus autem Sixti IV » Constitutionibus inhaerentes quemquam asserere, quod » propter hoc contrariam opinionem tenentes . . . . . » haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum » a Romana Ecclesia, et Apostolica Sede nondum fuerit » hoc decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus » aut intendimus ».

41. Quorsum autem haec referre non piguit? Numne ut contendam vel errasse veteres Pontifices, nimiaeque benignitatis ac tollerantiae incusandos; vel errare e contra, nimiique rigoris arguendum, qui nobis praeest, piissimum Pontificem, dum arctos illos limites praetergressus, quaestionem voluit tandem dogmatico decreto dirimere ac definire? Absit utrumque. Quod enim aliis temporis ac rerum adjunctis sufficere poterat, id modo insufficiens haberetur: et aliquid amplius, et majus in Sponsae decus dulcissimae Spiritus Sanctus divinis huc usque reservabat consiliis; quod et aliis fidei dogmatibus contigisse compertum est certissimis historiae ecclesiasticae monumentis. Non ergo huc spectat, quod hucusque ex veteribus Decretis illis exscripsi, ut optabilem fuisse sua-

deam diuturniorem anteactae oeconomiae permansionem: immo e contra efficaciora, ut diximus, ac tutissima media fuisse nobis ardentissimo studio vel maxime expetenda. Veteribus enim illis parti, si ita loqui fas est, mere *negativae,* scandalis nempe, jurgiisve vetandis provisum fuerat quidem sapientissime, dum nemini jam liberum esse sinerent in tantum tamque mirum Virginis privilegium, sive voce, sive scripto, sive publice, sive privatim quidpiam effutire. Sed *positivae* parti, qua videlicet adigerentur omnes hanc veritatem interna animi persuasione omnino complecti, nulla, directa saltem apertaque lege, quod equidem sciam, fuerat hucusque sancitum. Nullum certe praeceptum hujuscemodi reperiri fas est in antedictis Pontificum Decretis. Quod si revera extitisset, in re utique gravissima, nedum vetassent alterius sententiae patronos mortali crimini obnoxios pronunciare, quin potius transgressoribus id ipsi aperte comminari haud certe dubitassent, nisi velimus supremos morum magistros subditorum conscientiae laqueos instruere, vel quasi assentatione blandiri voluisse; quod sine temeritate atque injuria ne cogitari quidem potest. Sed prudens illa oeconomia, quae Apostolicae Sedis sapientiam, longanimitatem, et in judiciis capessendis atque finiendis gravitatem maximopere commendat, si illis erat, ut mox dicebam, temporum ac rerum adjunctis aptissima, sternebat tamen iter, viamque parabat gravioribus aliis sanctionibus ceu postremis illius praeclare jactae radicis floribus, fructibusque, quibus nedum ora, sed mentes, nedum negative silendo, sed positive loquendo, atque credendo in Mysterii illius confessionem ac fidem erumperent. Id autem, non alio aptiori

modo, quam dogmatico Decreto perfici quum posset, hoc prodiisse tandem vehementer nos decet gratulari. Si enim, ut morale quoddam corpus, Ordo noster jam pridem aperta ac indubia, ut probavimus, suae in piam, ac unice veram, catholicamque sententiam adhaesionis ediderat argumenta, nunc eo majori laetitia perfundi debet, quo medium nactus est efficacissimum hanc unitatem ipsam ac conformitatem in singulis filiis perpetuo, ubique, universaliter obtinendam: ac simul omnem denique amovendam vel levissimam suspicionis umbram, a qua nec antea sese unquam subducere potuit, nec in posterum alio forsan modo sese unquam prorsus perfecteque redimere potuisset.

§. VII.

42. Nescio quo fato, fama illa atque opinio, quae piae sententiae adversos nostrae Familiae alumnos, nostraeque scholae discipulos accusare non destitit, ita in vulgus percrebuit, ac pervulgata est, ac plurium mentes pervasit, atque occupavit, ut nihil frequentius audiri contingeret. Ei disjiciendae atque eradicandae nil profecerunt et Auctores nonnulli, qui sine ambagibus se professi fuerant piae sententiae adstipulatores; et non brevis Theologorum cohors, quam e nostris adducebant, vel recitatis singulorum verbis, vel saltem nominibus; et panegyricae, quas vocant, de hoc Mysterio a plurimis pronunciatae orationes (1); et adhibitus in missa immaculatae Conce-

(1) Ego ipse non semel et quidem apertissime in sensu piae sententiae Beatae Virginis Conceptionem rudi quidem ingenio, ru-

ptionis titulus; et alia sexcenta, quae praejudicatam hanc quorumdam opinionem vel suspicionem omnino evellere nequiverant. Quod si advenientibus almae Conceptionis solemniis, quispiam in concione ad populum habita non de Mysterio ipso, sed de generaliori quodam ac morali argumento, seu de ipsa in Virginem devotione, sive imitatione satius, et utilius sibi duxisset pertractandum (quod et in aliis mysteriis a pluribus quandoque fieri consuevit), hoc solo jam traducebatur in invidiam, et suspicionem opinionis adversae. Si vero e contra hujusce nominis, et privilegii excellentiam, dignitatemque exposuisset, etiam tunc vel privatam dixissent sibique propriam pandere sententiam, non Ordinis; vel quocumque alio modo, ratione, atque praetextu non desiissent a veteri querela. Adeo arduum opus est popularis semel invectae opinionis, ac longo temporis usu profundius defixae, radices omnes convellere! Adeo commoda ratio videtur, vulgusque juvat indoctum acta agere, dicta dicere, cogitata cogitare! Adeo denique prospere feliciterque nobiscum actum est, dum Summo inspirante Numine, fuit tandem dissidiis quibusque, seu dubitationibus, finis impositus in aevum. Quum enim illa de Virginis a primaeva culpa immunitate atque praeservatione jam non pia tantum atque ecclesiastica fide innixa sententia sit, sed et dogmatibus percensita, divinaque fide credenda, hoc tandem feliciter

dibusque verbis, sed filiali cordis affectu laudibus e suggestu celebravi, et in templo ipso S. Mariae Majoris non ita pridem hoc devotionis tributum persolvi. Quod obiter dictum sit, ne quis putet solummodo occasione definitionis novam me caepisse opinionem mente complecti, seu oris eloquio edicere.

consequuti sumus, ut intra Ordinis ambitum de unanimi singulorum assensu certiores facti, etiam extrinsecus permolestam atque indecoram accusationem perpetuo, ac tutissime declinemus.

CAPUT TERTIUM.

Quaecumque fuerit Angelici Doctoris S. Thomae circa hanc quaestionem sententia, quod in utramque partem disputatum est ac disputatur, certe isthaec veritatis definitio dogmatica, illi pergrata, ejus principiis omnino consentanea, ejus honori minime injuriosa censenda est: atque idcirco discipulis ejus, atque scholae debet esse jucundissima.

43. Praecipuum tamen (quod ad nos attinet), ac gravissimum difficultatis punctum me hucusque necdum attigisse fateor, quum sacra Praedicatorum Familia, seu potius peculiares quidam nostrae scholae theologi, piae sententiae aliquando refragati sint, non quod intrinsecis rationum momentis eam falsam, minusve probabilem haberent, sed eo quod oppositam Angelico Magistro magis arrisisse arbitrarentur. Non ergo, si ita mihi edisserere fas est, speculative prius intimisve ducti argumentorum ponderibus alterutrae pro lubitu sententiae nomen animumque adjiciebant, ut deinde sanctissimi Praeceptoris mentem investigarent, ac scrutarentur; sed quidam e contra vix delibatis ejus operibus, immo (ut verum dicam) vulgari quandoque

exaudita opinione, ac voce, quae eumdem testabatur piae sententiae repugnasse, et quin conlatis textibus critica lance expenderent quonam sensu ejus verba essent hac quidem de quaestione exponenda, sibimet tamquam religioni et honori esse ducebant, eamdem cum magistro amplecti opinionem, atque illam, quousque licuit profiteri. Operae igitur praetium me facturum existimo, si postquam in genere (I) scrupulum illum e quorumdam mentibus excutere aggrediar, qui verentur, ne occasione vel praetextu hujus, quae nuper prodiit, dogmaticae definitionis, aliqui abutantur, ut Doctorem praeclarissimum contemnere audeant, ejusque doctrinam superba irrisione proculcare; specialius ostendam (II) hoc facto, auctaque heinc Deiparae gloria Thomam ipsum vehementer delectari, illosque tantum discipulos agnoscere quos conspexerit Virginem laudibus atque honoribus efferendi studiosissimos (III); cum praesertim ea passim in libris suis semina jecerit, ea posuerit principia, e quibus legitima, spontanea, facillima deductione pia sententia, ceu rivulus e fonte prosilit, ceu fructus ex arbore excerpitur; atque hinc, sive (IV) contraria, quae citantur, loca (quod tamen minus probabile censeo) fuerint adulterina manu assuta, vel corrupta; sive (V), quod probabilius, alium patiantur sensum ac interpretationem, quam verba seorsim accepta praeseferre videantur; sive demum (VI) innocenter hac de re a vero ipsum aberrasse fateamur, nihil in reliquis deperit vel minuitur ejusdem sapientiae nitori, ejus doctrinae veritati, ejus in Ecclesiam, Religionemque meritis eximiis (VII); adeo ut ne minimum etiam dedecoris vel invidiae ejusdem scholae inustum pertimescere fas sit; sed potius sperandum, ut cumu-

latis felicioribus auspiciis magis magisque in Ecclesiae decus, in animarum bonum, in erroris confusionem illa usque efflorescat.

§. I.

44. Atque a me profecto, qui etsi minimum, amantissimum tamen Angelici Praeceptoris discipulum profiteor, cui debeo si quid in theologica palaestra (modicum id quidem) profecerim, cujus placitis, solidaeque doctrinae adhaerere jurisjurandi vinculo lubenter professus sum, et ejus famam, sapientiam, nomenque ipsum vel a primaeva aetate ceu splendidissimum Ordinis jubar, et Ecclesiae decus ac columen venerari didici, atque assuevi, nihil magis abhorret, quam vel minimum mente concipere, scripto tradere, seu voce profiteri, quod in Magistri injuriam traduci posse videatur. Quod si porro etiam non me puderet pertentare, quis ego sum, qui fulgentissimi syderis lucem undique coruscantem velo quodam interjecto intercipere posse stulto ac nefasto conamine putarem? Utique si eo res adducta esset, ut macula quaedam vel naevus foret necessario vel in Virgine omnium Electorum Regina, vel in Thoma theologorum principe admittendus, ubi modus nullus suppeteret utrumque simul absolvendi, ambigeret nemo, vel tantisper haereret in Magistra ac Matre filio, discipuloque praeponenda. At, Deo favente, non ad has incitas redigimur, nec Magistrae gloria in discipuli dedecus redit; nec illa prorsus hujus Mysterii devotis mens et consilium fuit; nec multo etiam minus haec intentio, immo ne cogitatio quidem subiit mentem Pontificis veritatem hanc oraculo cunctis gentibus reverendo solemniter pronunciantis.

45. Et licet id ea facti evidentia nitatur, ac fulgeat omnium oculis, ut nec demonstratione indigeat, vel longiori verborum suasione, quia tamen, veteri quidem aevo achilleum hoc ferme habebatur argumentum ut refugerent quidam, quoad possent, nec opportunam profiteri umquam vellent dogmaticam hujusce rei definitionem; immo unica etiam nunc causa, vel timor superesse poterit, qui delicatiores animos adhuc vellicare queat, ac pertentare non ad infidelitatem quidem, sed ad moerorem; ut iis metum hunc abigendum suadeam, ac nihil imminutam iri contendam Angelici Doctoris auctoritatem, id argumentis, ac veluti comparatione instituta, probandum mihi assumo (debita illa proportione asservata, quae inter res tam diversi generis intercedere opus est) = iisdem ferme, si pauca excipiantur, rationibus ac momentis usos fuisse, ac piissime, sapienterque pugnasse pro inclyto Immaculati Conceptus privilegio Deiparae asserendo hujusce dogmatis patronos, quibus alii Sancti Thomae in theologicis rebus auctoritatem, solidaeque doctrinae pondus obfirmare nitebantur. Consulto tamen dixi proportionem inter res tam diversi ordinis omnino esse servandam. Non enim in theologicis disciplinis adeo hospes sum, ut non videam quid immanis intersit discriminis inter judicium (praesertim dogmaticum) quod de propositione quadam determinata, ad fidem sive mores spectante, pronunciet Ecclesia; et generalem alicujus Doctoris, vel librorum ejusdem, approbationem sive commendationem, quae certe non efficit ut obligatorium sit singulis doctrinae capitibus opinionibusve indivulse omnes adhaerere; multoque etiam minus cuncta, quae iis libris traduntur, esse infallibilia oracula, fideque divina

credenda. « Solis enim, » inquiebat S. Aug. Epist. ad Hieron., quam ipsemet citat et sequitur Angelicus, « Scri- » pturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc » honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scri- » bendo errasse aliquid firmissime credam. Alios autem » ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepol- » leant, non ideo verum putem quod ipsi ita senserunt, » vel scripserunt (1) ». Non ergo id contendo, quod absurdum plane foret, ac sapientum sibilis excipiendum, vel in genere cujusque ecclesiastici Scriptoris, vel in specie Angelici Doctoris nostri libros ea approbationis ratione ac robore munitos vel muniendos, ut ne hilum quidem vel apicem liceat tamquam a vero abhorrentem traducere ac refellere, quin haereseos crimen ac nota incurratur. Quis sanus hoc dicere, vel cogitare umquam potuit? Verum in eo tantum prosequi lubet eam, quam diximus, comparationem, quod salva diversa objecti indole ac substantia, quorum alterum suapte natura fidei dogmatibus accenseri poterat, nempe erat definibile, et implicite saltem in verbo Dei scripto, vel tradito, vel utroque continebatur; alterum vero hanc non suscipit nec patitur definitionem (2): in re-

(1) S. Thom. 1. P. q. 1. Art. VIII. ad 2.

(2) Potest utique Ecclesia quasdam propositiones exprimere verbis, quae in aliquo doctore inveniantur, et tamquam de fide definire: ut revera Concilium Tridentinum aliqua edidisse decreta ex S. Thomae scriptis excerpta, ostendit Gravina lib. 2. Cap. 5. sui *Cherubim paradisi*. Sed primo quidem hoc non efficit Ecclesia, quasi de fide essent, praecise prout a tali Doctore docebantur: deinde alia est approbatio alicujus propositionis in particulari; aliud vero approbare integrum librum, non in sensu tantum do-

liquis, cum iidem fontes citentur, ipsae adducantur rationes, ac persimiles legantur segetes vel flores auctoritatum, nec logices certe regulis, nec quod gravius est, debiti obsequii, et reverentiae legibus faceret satis, qui unum admitteret, caetera respueret; qui Pontificum decreta, quae lubet, reverenter excipiens, reliqua spernat; qui Academiarum illustriorum consensum modo reverenter alleget, modo statim irrideat ac contemnat: caeteraque hujuscemodi, quae vix ac ne vix quidem sinceram praeseferunt fidem veritatis quaerendae, nec eam disputandi, quae omnino decet, gravitatem. Hoc sensu tantum, conlatis, quam brevius potero, utriusque rei monumentis, quae quidem omnia ad pontificum Constitutiones, Conciliorum decreta, Ecclesiae ritus atque preces in sacra liturgia adhibitos, ad Academiarum placita, nec non ad ipsum pugnae genus, et indolem hostium, facillime revocari queunt, jam illud enitar demonstrare, utrosque (licet diverso gradu) culpandos; et qui antequam res ad quamdam evidentiam jam prope accessisset auctoritate Angelici ad piam de Conceptu Virginis immaculato sententiam quovis modo adgrediendam abusi sunt; et qui postmodum, definitione hujusce dogmatis abuti vellent, ut tanti Doctoris famam extenuent, ejusque elevent seu minuant auctoritatem (1).

46. Et primo quidem Summorum Pontificum decreta, qui nondum edita dogmatica Constitutione, Deiparam am-

ctrinae sanae et catholicae, sed in sensu etiam cujusdam dogmaticae certitudinis, seu infallibilis auctoritatis: quod solis canonicis Divinae Scripturae libris tribuitur.

(1) Non de culpa morali heic me loqui palam est; sed hanc vocem latissimo sensu adhiberi.

plissimis laudum praeconiis omnino immaculatam vel a primaevis Conceptus exordiis nulla penitus originali noxa inquinatam praedicarunt, vel praedicantes innumeris privilegiis, indulgentiis, favoribus nullo non tempore prosequuti sunt, vel festivitate sub eo titulo instituenda, augenda, ejusque genuino sensu enunciando inclaruerunt; vel contrarium quidpiam vetarunt dici et praedicari, haec inquam decreta, et memorata sunt superius, et heic excribere placuisset, nisi essent omnibus notissima, et nisi etiam Constitutionis tandem dogmaticae, quam veneramur, fulgidiori luce, ceu velo quodam, ut sydera oriente sole, fuissent obtecta atque obscurata.

47. Praestat nunc, a majori quidem ad minus, ut dixi, et non ab aequali arguendo, (quis enim audeat Sanctum utut praestantissimum coaequare Deiparae; vel piam illam praeclaramque Pontificum aemulationem in hujusce Virginis Immaculatae honore tuendo, privilegiis vindicandis, cum qualibet doctrinae insignis licet ac mirificae approbatione conferre?) amplissimas laudes percensere, quibus ipsimet Pontifices prosequti sunt identidem mirum Aquinatis ingenium, eruditionem sapientiamque pene divinam, ejusque doctrinae veritatem ac soliditatem elogiis nobilissimis cumularunt. Hi fuerunt praesertim Alexander IV, Joannes XXII, Clemens VI, Urbanus V, Nicolaus V, Alexander VI, Pius IV, S. Pius V, Sixtus V, Clemens VIII, Paulus V, Alexander VII, Innocentius XI, Innocentius XII, Clemens XI, Innocentius XIII, Benedictus XIII, Clemens XII, et Benedictus XIV: quorum omnium, praeterquam postremi hujus, verba simul collecta exhibet et ponit sub oculos tractatus ille, qui *de Consensu Bullarum* inscribitur, et ad

calcem Bullarii Ordinis Praedicatorum reperitur adjectus. Praecipua quaedam sed breviora testimonia seligimus. Joannes XXII Constit. quae incipit *Redemptionem*, « Opera » ejus in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque » studentium ..... non absque speciali Dei infusione » perfecta fuisse tradit. Urbanus V Const. 31 Augusti 1368 Archiepiscopo Tolosano, et Cancellario, Magistris, Rectoribus, caeterisque in Civitate ac Provincia illa commorantibus data, eam hisce verbis absolvit: « Volumus insuper et » tenore praesentium vobis injungimus, ut dicti Beati Tho- » mae doctrinam tamquam benedictam et catholicam se- » ctemini, eamque studeatis totis viribus ampliare ». Nicolaus V Const. 20 Julii 1451 de ejusdem laudibus disserens, « ex cujus, inquit, doctrina tota universalis illumina- » tur Ecclesia ». S. Pius V pluries Angelici Magistri praeconia edidit, eumque Sanctis Ecclesiae Doctoribus aggregavit Const. 11 Aprilis 1567; Romanamque ejus Operum editionem *ad Christianae Religionis augmentum et utilitatem* alia speciali Constitutione anni 1570 approbat, caeterasque ad istius exemplar jubet componendas. Sixtus V Const. 14 Maji 1588 eumdem nuncupat ac salutat *Ordinis sui decus, et Ecclesiae Catholicae ornamentum.* Clemens VIII Const. *Sicut Angelici* de ingenti librorum ejus numero meminit, eosque asserit « Singulari ordine, ac mira perspi- » cuitate, sine ullo penitus errore conscriptos ». Paulus V Const. 17 Decembris 1607 « Splendidissimi, ait, Catholi- » cae fidei athletae Beati Thomae Aquinatis, cujus scripto- » rum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter » elidit, honores et venerationem in dies magis magisque » augeri, plurimum in Domino gaudemus, et iis quae ad

» illius honorem devote sancita sunt, ut firma et illibata » permaneant, libenter Apostolicae firmitatis robur adji- » cimus ». Alexander VII doctrinas quas ille tradit, inconcussa tutissimaque dogmata appellat, Const. anni 1660 ad Lovanienses. Nimis longum foret ea sigillatim referre, quae pluribus editis Constitutionibus amplissima in Thomisticae doctrinae praeconium protulit Benedictus XIII. Clemens vero XII in sua Const. *Verbo Dei* laudes a Pontificibus suis praedecessoribus, quos recenset, Sancto Thomae tributas, iterum approbat, novaque sanctione confirmat. Quibus tandem sapientissimum Benedictum XIV juverit coronidis loco adjicere, qui in oratione habita quum generalibus nostri Ordinis Comitiis praefuit anno 1756, in haec verba erupit: « Hoc profitemur, nullo unquam tem- » pore evenire potuisse, ut e memoria nostra dilaberetur » Theologorum princeps, Scholarum Angelus, Ecclesiae » Doctor, praeclarum Ordinis Vestri sidus, S. Thomas » Aquinas, cujus doctrinae complures Pontifices praede- » cessores nostri perhonorifica dederunt testimonia etc. ».

48. Illud vero nequaquam fas esse credimus silentio praeterire, quod plerumque Pontifices, qui Immaculatae Conceptionis cultum fervidius solemniusque promoverunt, iidem Divi Thomae doctrinam amplioribus elogiis duxerint celebrandam: quos inter duos tantum commemorare satis fuerit, Paulum V, et Alexandrum VII, qui utroque laudationis genere certatim inclaruerunt, quod certe non fecissent, ubi haec inter sese adversa fronte pugnare, nec potius rati forent optimo jure componenda. Tanto exemplo et auctoritate permoti, omnes certe, qui decreta Pontificum non ex propriae mentis placitis propriaeque volun-

tatis indole, sed ex nativa eorumdem auctoritate metiuntur, cunctaque debitis obsequii sensibus excipiunt, ac venerantur, nuspiam ac nunquam abutentur adaucto hoc in Virgine sublimissimi decoris splendore, ut famulo ejus pientissimo tenebras et umbras offundant. Quod uberius adnotare placuit, ut pavidus timor, ac sollicita anxietas ex omnium cordibus evanescat; non vero quia reapse id fuerit serio pertimescendum. Tempora enim, supremo favente Numine, advenisse laetamur, quibus non ad invidiam conflandam, non ad scholae propriae commoda, ac principatum adipiscendum, theologi qui vere sapiunt disputare assueverunt, sed ad veritatem seu inveniendam, seu illustrandam, seu ab Ecclesiae osoribus defendendam. Vix igitur verendum est (quod a privatis nonnullis, dum acres vigerent veteri aevo concertationes, factum esse novimus ac dolemus), quod aliquis denuo calumniis vel irrisionibus praeclara Divi Thomae opera impetat: quod si porro faceret, non Angelico, non nobis, sed sibimetipsi dedecus et probrum facesseret, et risu magis quam ira exciperetur a sapientibus. Sed ad rem; et coeptam comparationem prosequamur.

49. Inter Concilia, unum tantum quod quidem oecumenicum ac legitimum fuerit, heic volumus in medium afferre, Tridentinum scilicet, quo licet immaculati Conceptus Beatae Virginis aperta et directa neutiquam prodierit definitio, fundamenta tamen praeclarissima jacta sunt ejus in posterum edendae; cum videlicet de peccato originali pertractans, Beatam Virginem docuit excipiendam hisce verbis notissimis. « Declarat tamen ipsa S. Synodus non » esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi

» de peccato originali agitur, Beatam, et Immaculatam » Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse » Constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV, sub » poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat ». Hactenus verba Synodi; quae tamen, uti omnes norunt, eloquentissimum non verbis, sed factis in Angelicae doctrinae laudem edidit testimonium, dum Concilii Patres « Scri- » pturae Sacrae, quae de more in publicis Conciliorum » sessionibus afferri solet, ut in promtu sit ad consulendum, » unicam Divi Thomae Summam adjici voluerunt, tanquam » luculentissimam omnium Patrum epitomen, et Scriptu- » rae Sacrae interpretem; imo, ut patet ex oratore Conci- » lii, ad D. Thomam, ut ad lydium lapidem, si quid ambi- » guitatis aut controversiae fuisset exortum, communibus » votis referendum existimabant. Unde merito Baronius = » Vix quisquam enarrare posset, quot vir sanctissimus, » atque eruditissimus Theologorum praeconiis celebretur, » quantumque illius illibatae doctrinae a Sanctis Patribus » in sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino consi- » dentibus fuerit acclamatum (1) ». Videlicet speciali Dei providentia contigisse videtur in eadem Synodo fuisse acclamatum insigne privilegium Virginis a qualibet originali noxa mundissimae, et Sanctum Doctorem Deiparae addictissimum honoribus insolitis, nec unquam auditis decoratum: quasi videlicet dulcissimae Virginis consilium et mens fuerit, ut eum a quo dilecta est, et quem Ipsa dilexit, ac diligit, propriae exaltationis occasione non depri-

(1) Ex P. Ant. Gaudin diss. secunda, proemiali suae philosophiae Thomisticae, quae est de laudibus D. Thomae.

mi sineret, sed decori ejus augendo consuleret; id quod uberius dehinc data opera exponemus.

50. Nunc coeptis insistentes dicimus, non modicam certe vim ac robur sibi vindicare liturgiam, seu sacram illam cultus Deo exhibendi formam, quam Ecclesia frequentat. De hujus porro argumenti applicatione et usu in piae sententiae favorem, usquedum tandem gravius, ac certissimum accederet dogmaticae definitionis pondus, non est mihi diutius disserendum, quandoquidem ex libris quampluribus ea mutuare licet, qui fausto omine auspicatam dogmatis definitionem praecesserunt, et qui ex institutae festivitatis consilio, et objecto, ex Officii Missaeque celebrandae ratione, atque ex prolatis precationum formulis gravissime et invicte decertarunt ut piam sententiam ceu veram ac proxime tunc definibilem adstruerent. Quae porro monumenta duplicis generis quum sint, generalia, quae ad totam Ecclesiam, et particularia, quae ad quosdam referuntur hominum coetus, utrisque in rem suam inaequali licet, sed gravi tamen pondere nitebantur, quum etiam postrema non nisi Apostolica Sede probante licuerit adhibere. Quandoquidem igitur et Ecclesia universa Conceptionis festum in sensu praeservationis ab omni culpa originis jamdiu devotis celebrabat obsequiis, et Officia quaedam, seu orationes fuerant quibusdam sive Ecclesiis, sive Ordinibus a Sede Apostolica concessae, quibus clarius et apertius hujus praeservationis Mysterium exprimebatur, praecipue vero illa, quam Sixtus IV, aliique Pontifices approbaverant: « Deus, qui per immaculatam Virginis Con- » ceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, » quaesumus ut qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa

» eam ab omni labe praeservasti etc. ». Idcirco hinc jure colligebant ex cultu ipso sat superque probari, quaenam foret genuina Ecclesiae sententia, quam Spiritus Sanctus illi assistens non pateretur unquam in rebus ad mores, divinumque cultum spectantibus a veritate desciscere, atque errare. Liceat nunc porro hoc argumenti genus accomodare in Divi Thomae Doctoris nostri commendationem, cum in honorem ejus facta nobis ab Apostolica Sede potestas fuerit talis Officii recitandi, in quo de ejus doctrinae veritate, sublimitate, soliditate innumera praedicantur. Immo et orationem tota Ecclesia adhibet, quae praeconium duplex complectitur tum sapientiae tum sanctitatis: « Deus qui Ecclesiam tuam Beati Thomae Confessoris » atque Doctoris mira eruditione laetificas, et sancta ope- » ratione foecundas, da nobis quaesumus et quae docuit » intellectu conspicere, et quae egit imitatione complere ». Quid autem interesset illa, quae docuit, intelligere, vel quid hujus rei sollicitam sese exhiberet Ecclesia, si impune et sine veritatis dispendio ejus passim doctrina contemni posset? Non itaque (juvabit heic, quam praemisi, meae intentionis protestationem iterare) perfectam his duobus similitudinem ita inesse contendo, ut par in utroque argumenti vis, et ratio consurgat. Cultum enim Conceptioni Virginis exhibitum referimus in testimonium traditionis, et quidem in re olim definibili, nunc definitae; id quod de doctrina Angelici generatim accepta nec sane concipi, nec dici potest. Verumtamen cum Ecclesiae voces, in sacra praesertim liturgia adhibitae, magnam semper praeseferant auctoritatem, ne suspicari quidem possumus eam voluisse unquam, nec velle ejus pessumdari

doctrinam, cujus intelligentiam, uti a Deo postulent, Christifidelibus auctrix est et magistra.

51. Sequitur ut de Academiis Scholisque celebrioribus disseramus: quarum pleraeque piam ultro sententiam de immaculato Deiparae Conceptu amplexae sunt: eamque vel interposito voto, seu juramento sibi, suisque defendendam esse sanxerunt. Si quid autem roboris et auctoritatis sibi vindicat ista propensio atque consensus virorum sapientia praestantium, id certe erit Sancti Praeceptoris Thomae laudibus accensendum; quem Sylvius inter Commentatores ejus haud certe postremus jure nuncupat = Academiarum omnium Communem Magistrum (1). = Et re quidem vera Parisiensis, Salmanticensis, Duacenae, Tolosanae, Patavinae, quis (ut de caeteris sileam) nomina toto orbe clarissima non unquam exaudivit? Vel quis pariter eas in theologicis quidem disciplinis, Divum Thomam ceu ducem ac magistrum, immo solem splendidissimum in veritate detegenda sibimet cunctas elegisse nesciat? De Avenionensi quidem compertum est a Dominico De-Marinis ex Praedicatorum familia illius Diaeceseos infulam assequuto fuisse invectam, ut discipuli mira imbuerentur Aquinatis doctrina (2): quem tamen Archipraesulem invenio inter eos proprio nomine nuncupatos, quos citat e nostris atque laudat P. M. Spada veluti immaculati Virginis Conceptus defensores (3), quod indicium est et argumentum potuisse utique conjungi ac copulari in Angelici Aqui-

(1) Comment. in S. Thom.
(2) In P. Gaudin loc. cit.
(3) Opusc. cit. num. 98.

natis doctrinam studium et amorem vehementissimum, simulque tenerrimum devotumque in Virginem affectum immaculate conceptam, ac de maligno hoste fausto omine triumphantem. Id quod, ne a coepto themate digrediar, abunde liquet ipso Academiarum illustriorum exemplo, quorum nonnullae, ut de Parisiensi nemo ambigit, et Divi Thomae sequelam, et Immaculatae Conceptionis doctrinam aeque professae sunt, quod insipienter egissent, si isthaec inter sese mutuo repugnare viderentur. Et tamen imitatores nactae sunt quamplures, non privatos tantum, sed religiosas virorum societates, qui Virginis sine labe conceptae mysterium propugnarunt acerrime, ac fervidissimis devoti animi sensibus coluere: nec tamen idcirco vel cogitarunt unquam Angelici Doctoris, cujus se discipulos esse gloriabantur, doctrinam pessumdare, seu quoquo modo minuere auctoritatem. Et quamquam experientia compertum sit Ecletismum quemdam, si ita loqui possumus, in quaestionibus quidem liberae disputationi permissis, scholas nunc theologicas latius pervasisse, Principi tamen Theologorum, et Scholarum Angelo quotquot sapiunt debitam adhuc venerationem, immo dixerim admirationem profitentur, et profitebuntur in aevum.

52. Habuit quidem et ipse atque habiturus est hostes suos, qui Catholicae Religioni infensissimi strenuum hunc christiani exercitus ducem atque pugilem nituntur callidis machinis atque artibus prosternere, ut cladem inferant, ac luporum more Christi gregem immani feritate dilanient, discerpant, ac devorent; unde Buceri nefastum illud et impium: *Tolle Thomam, et ego destruam Ecclesiam Dei.* Sed numquid eum lacessunt tuendi cujusque in Mariae

honorem privilegii praetextu? Non ita sane: quum haereticis hominibus id usquequaque solemne fuerit satanico plane odii aestu fervescere in dulcissimam coeli terraeque Reginam; adeo ut jure cum cl. P. Perronio asserere non dubitaveris odium hoc ipsorum veluti symbolum fore, quo dignoscantur: dum e contra Catholicorum ceu tessera perpetuo fuerit tenerrima in eam Virginem devotio, assiduusque cultus. Nec immerito porro: quippe praesentissimam in praeliis quibusque Reginae opem experta est Christi Ecclesia, ejusque clypeo protecta atque armis innixa ita ab initio usque nunc hostes protrivit, ut exultans eam salutare jure possit ac soleat: = *Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.* = Animus horret ea vel specimis loco proferre, quae Protestantis factionis Coryphaei, ac Lutherus in primis in praeclarissimam Virginem nullo non tempore evomuit (1): quae quidem calumniandi ac blasphemandi audacia adhibita ab iis est vel maxime in hoc etiam immaculatae ejus Conceptionis privilegio adgrediendo (2).

(1) P. Crasset in opere quem inscripsit = *la vera Divozione verso Maria Vergine stabilita e difesa* = hoc etiam sibi declarandum assumit = *Perchè tutti gli Eretici abbiano in odio Maria Vergine* = et haec inter caetera habet. = E pur è certo non esservi stato quasi eretico alcuno nel mondo, il quale non sia stato nemico della Vergine, e non l'abbia avuta in avversione . . . . . Avrei orrore di riferir qui le bestemmie, che Lutero e Calvino hanno profferito contro di essa. Nulla si può pensar di più empio e di più insolente ecc. =

(2) P. Passaglia op. cit. in proleg. num. 13 et 14. Protestantium plurium, et Calvini inprimis declamationes refert, et vesana verba, quibus obloquuti sunt de hoc mysterio impie simul et imperitissime.

Nempe cum frustra callidus hostis conetur e Victricis, quam odit, fronte sydeream decerpere coronam, nititur saltem tantae victoriae splendorem ex parte Virginis, tantumque ex parte suimet cladis opprobrium injectis umbris obvolvere, atque obscurare: et blasphemis Haereticorum, atque incredulorum vocibus insultat fidelium pietati, quasi mulierculárum more, ridiculis, ut ajunt, ac minutis munusculis, atque oratiunculis delectetur. At rideant, irrideantque superbi. Eorum fremitu, irrisionibus, ac minis nedum e Matris dulcissimae sinu divelli patiamur, immo et ardentius Illi, confidentiusque adhaerebimus; ac preces precibus, vota cumulabimus votis, ut serpentis nequissimi caput, veterem instaurans triumphum, virgineo pede proculcet; vel potius ut errores quidem compescat, errantes vero ceu sidus fulgidissimum in salutis, et veritatis portum feliciter reducat.

53. Caeterum, ut dixi, eo usque abhorrent Protestantes a Scholasticorum Principis doctrina (quae comperta res est, et Angelico ipsi Doctori summopere gloriosa), ut nullum certe periculum existat eos posse vel Thomae, vel Thomistis reconciliari ex ea tantum ratione, quod privilegio immaculati Conceptus adversam quamdam tulisse sententiam jure, vel injuria ferantur. Attamen nonnihil forsan in ipsa clade laetandi, vel gloriandi ansam sibi assumerent haeretici, ac increduli seu rationalistae, qui procaci odio in Thomam, ceu ipsorum malleum, feruntur, si per adjectum Virginis decus imminutum iri crederent illius Athletae fortissimi robur ad eorum, ut hactenus, detegenda sophismata, ac penitus profliganda. At fallerentur quammaxime, si id crederent, vel jactarent. Ecclesia siquidem nec laudes re-

tractat, nec de animi sententia decedit: atque adeo Doctorem illum, quem tantis prosequuta est preconiis, nunc profecto non spernit, atque conculcat. Non ea mens Pontifici Sanctissimo, non Catholici Orbis Praesulibus; non iis, quotquot fuerunt, zelo, sapientiaque praecellentibus viris, qui hoc privilegium Virgini gloriosissimum tutati sunt, ac dogmatici decreti sanctione muniri votis ardentibus postularunt. Nullus certe posthac vir Catholicus ne mussitare quidem audebit, vel conqueri de hac definitione, vel eo etiam minus sub obtutu (quod absit) Doctoris Angelici defendendi in haereticam impietatem consentire. Sed nemo pariter discretus, ac modestus existet Theologus, qui occasionem exinde captet, ut in Angelicum Doctorem obloquatur, vel doctrinam ejus, et praeclaros libros omni sapientia refertos calumniis lacessat, ac proterat. Licet enim istiusmodi homines non essent profecto haereticae obnoxii pravitati, ut de primis illis dici debet, attamen in eo peccarent vel maxime, quod ab eventu faustissimo, atque Ecclesiae gloriosissimo, nempe a sancta radice, unde fructus pacis, ac caritatis progerminare debent, fructus e contra, quoad in eis fuerit, conarentur educere divisionis, ac jurgiorum: quod quidem si fuit semper praecipuo studio vitandum, urgentior, ac gravior extat aevo nostro ejus cavendi necessitas, quo videlicet ne minima quidem in acie Catholica dissensio suspici queat, omnesque simul tot undique ingruentes christiani nominis, vel Ecclesiae Catholicae hostes conjunctis animis, conlatis viribus adgrediamur.

§. II.

54. Parum tamen foret, si illud disputando consequutus fuero, ut ab omnium, praesertim juniorum, mentibus penitus evanescat vel minima suspicionis umbra de imminuta, hoc felicissimo quo gaudemus eventu, Angelici Doctoris nostri dignitate. Quid vero dicant, si contendam potius aliquo sensu famam adauctam, et magis magisque ejus nomen, sanctitatem, sapientiam, ac praeclara in Ecclesiam merita ampliori quadam luce pervulgata? Perlege enim, si lubet, virorum honore, ac nomine illustrium libros, qui hac quidem occasione nuper prodierunt: et videbis profecto quo sensu, quibusque verborum, seu potius elogiorum formulis de praeclarissimo Doctore loquantur (1). Ipsamet sane cura, diligentia, studiumque, quo vehementer cuncti

(1) Eminentissimus vir Card. Lambruschini laud. diss. eum nuncupat = grande luminare della Chiesa di Dio, il quale giustamente il glorioso titolo si meritò di Angelo delle scuole. = P. Petrus Biancheri in suo opere = *Pareri sulla definizione dogmatica dell'immacolata Concezione della B. V. Maria* cap. XVIII. §. VII. illum vocat, ammirabile Santo, e Dottore eccelso, chiamato meritamente Angelico per la chiarezza, l'acume, precisione, e vastità della sua mente, e detto perciò a buon diritto il *Salomone Cristiano.* = P. Perronius op. cit. parte II. Cap. V. = ab alia, item inquit, temperamus quaestione critica de vera *Magni Aquinatis* sententia =. Demum ut caeteros mittam in re non equidem necessaria, ipse, quem saepe citavi, nuperus scriptor ex Alcantarinorum familia non unam paginam impendit, ut plurium cujusque coetus in Divi Thomae praeconium editas laudes exhibeat, ac verbis amplissimis confirmet.

in eo vel exponendo, vel piae sententiae conciliando, vel excusando saltem desudarunt, argumento sunt evidentissimo, ut ostendant quanti utique facerent ejusdem auctoritatem. Id, quod fortasse, ut dixi, benignissimae Virginis, cujus magnalia mirifice illustravit S. Doctor, et quae nec fuerat olim dedignata sub visibili specie dulci eum eloquio recreare (1), ac mentem altioribus irrorare divinae sapientiae rivulis, providentia, atque consilio effectum est, ut novo splendore virgineae fronti adjuncto non minui contingeret, sed indirecte saltem, ac reflexis, ut ajunt, radiis famulo sibi devotissimo lux, ac splendor accederet. Nam si de viro actum foret exigui ponderis, minimaeque auctoritatis, ne cogitassent quidem tot, tantique scriptores sibi adlaborandum, ut vel ab errore eum eximerent, vel innocenter errasse statuerent, nempe ut nullum ob id patiatur dignitatis detrimentum.

55. Caeterum si qui fuerint, vel sint, qui de Sanctis in coelo regnantibus ita abjecte terreno more sentiant, ut ex eorum quidem sententia errori olim, dum viverent, innocenter admisso veritatem posthabeant, ii videant quam opinionem ab omni veri specie prorsus alienam, atque electis ipsis animabus plane injuriosam tueantur. Illuc enim sancti viri pervenerunt, eoque admissi sunt, quo veritas nec per ignorantiam latere, nec per malitiam odio haberi queat. Illi proinde sese, me quidem judice, ridendos exhibuissent, qui licet veritatem Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis faterentur, optassent ta-

(1) Touron = la Vie de St. Thomas d'Aquin = livre troisieme. Chap. IX.

men non definiri, ne rem ingratam Magistro facerent. Quasi nempe ei adhuc humani pulveris reliquiae adhaereant, ut falsi cujusdam terrenique honoris causa, veritatis, et quidem Deiparae Virgini, quam diligit, gloriosissimae publicationem reformidaret, vel mallet dubitationem sive errorem praevalere: immo obsequii loco habere posset, si hunc discipuli tueri pergerent opinionis studio, veritatis dispendio. Absit hoc a Viris sanctissimis, qui in mortali hac vita degentes de opinionibus propriis humiliter diffidere, unicaeque veritati litare consueverunt. Absit hoc a Doctore nostro, qui senior ac doctior effectus nonnullas in florentiori aevo propugnatas sententias gravioribus argumentis perductus corrigere ac reformare non detrectavit. Ergone minor virtus languidiusve veritatis studium comprehensoribus aderit, quam fuerit viatoribus? Ergone fas erit terrenas veluti passiones animis caelestibus adscribere? Minime sane. Quaecumque fuerit de Virginis Conceptione Thomae sententia, vix in gloriam admissus immaculatam eam fuisse illico perspexit, ac de ea uti de caeteris Reginae privilegiis sibi complacuit vehementissime, atque eam coelo terraque cognosci, diligi, praedicari hoc etiam titulo exoptavit. Ac proinde quo fervidiori studio diligentia conamine in istud Virginis privilegium deinceps propugnandum, celebrandumque adnitemur, in hoc germanos nos comprobabimus Angelici Doctoris discipulos, atque rem efficiemus Magistro praeclarissimo gratiorem.

§. III.

56. Immo, utut paradoxa nonnullis videri haec poterit opinio, firma tamen haeret meae menti sententia, etiam ante editam hujus controversiae definitionem, saltem ex quo tempore apertissimis ac indubiis monumentis de universalis Ecclesiae sensu nemo jam ambigere poterat, veriores e nostratibus illos habendos in hac re Divi Thomae discipulos, qui piae sententiae suffragati sunt, quam qui refragati. Quod quidem haud difficile puto invictis fulcire argumentis. Etenim ille discipulus est censendus, qui totum systema, nexum, et ordinem alicujus doctrinae complectitur, et principia, ut ajunt, fundamentalia ita pone sequitur, ut paratus sit aliquam specialem auctoris conclusionem abnegare, quando eam retinere ac mordicus defendere non posset, nisi disjectis principiis ipsis, ac potissimis doctrinae totius veluti cardinibus ac fundamentis. Atqui reapse jamdiu non poterat pia de Immaculatae Virginis Conceptu oppugnari sententia, quin everterentur principia illa ac veluti axiomata theologica quae Divus ipse Thomas sui circa res divinas systematis bases esse statuerat. Ergo etc.

57. Hic syllogismus ea nititur suppositione, in scriptore quolibet secernendum esse atque accurate distinguendum inter summa capita, praecipuas veritates, ac fundamentalia principia, quibus integrum auctoris sistema veluti consurgit; et inter remotiores quasdam, accessorias, et specialiores conclusiones, quas ad systematis substantiam et nexum pertinere nemo dixerit. Hanc autem distin-

ctionem seu delectum esse vere faciendum quis ambigat? In ipsis sacris litteris, licet vel minima quaeque Deo inspirante tradita sint, et sub hoc respectu aequalis sint omnia ponderis, certitudinis, ac dignitatis, ratione tamen habita ad res ipsas quae dicuntur, quaedam ad dogmatum substantiam, alia vero pertinent ad historicae narrationis nexum et ordinem vel ornamentum: non quidem eo sensu quo fundamentales, a non fundamentalibus fidei articulos conati sunt Protestantium quidam nefando ausu secernere; sed eo sensu quo Angelicus ipse Doctor de quibusdam peculiaribus factis in divino scripturarum codice enarratis asserebat (1), « quod singularia traduntur in sacra scri» ptura non quia de eis principaliter tractetur, sed intro» ducuntur tum in exemplum vitae, sicut in scientiis mo» ralibus, tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum » per quos ad nos revelatio divina processit. » = Certe ipsimet Thomistae quasdam opiniones unanimi ferme calculo ceu propriae scholae fundamentales amplexi sunt; in aliis vero nec quandoque inter se se consentiunt, et allatis utrinque Sancti Doctoris auctoritatibus digladiantur: quod certe probat, praeter generaliora ac certiora principia, quasdam non deesse remotiores consecutiones, quae nec ita aperte traduntur, nec evidenter ex principiis ipsis fluunt, nec pro iis sit veluti pro aris et focis dimicandum. Haec autem non scholae nostrae peculiaris et propria, sed communis omnium conditio est; immo et rei cujuscumque, quae ordine quodam et methodo componatur. Non enim in domo omnia sunt fundamentum; nec

(1) 1. P. q. 1. art. 11. ad 2.

omnia in humano corpore caput; nec in arbore omnia radicis vel trunci naturam praeseferre fas est. Et quidem diruto fundamento, domus corruit; obtruncato capite, vita hominis extinguitur; avulsa radice, arbor arescit. At non vicissim, si quis ex arbore frondem decerpserit, vel capillum ab hominis capite divulserit, vel e domo subduxerit lapidem seu laterem quemdam, dicendus foret illico vel domum, vel hominem, vel arborem sustulisse. Quod quidem et de illustrium Doctorum scholis accomodari et intelligi debet. Quis enim ut verum se magni Augustini discipulum exhibeat, dubius haerebit an anima filiorum ex parentum traduce ineffabili quodam ac spirituali modo progerminet, eo quod Sanctus Doctor visus sit in eam inclinasse sententiam? Et quis rursus, ne externa quaeramus exempla, habendum se tanquam a Thomisticis castris transfugam pertimesceret, qui Summo Pontifici potestatem adsereret solemnia vota relaxandi, quae nunc communis sententia est, licet Angelicum aliud docuisse perspiciat? Sunt ergo in veterum etiam doctissimorum Patrum libris opiniones quaedam sive antiquatae, sive improbabiles effectae, quas nedum salva reverentia discipuli repudiare possint, sed etiam debeant, si praesertim, ut in casu nostro evenire palam est, defendi jam nequeant, quin firmioribus solidioribusque ipsorum principiis valedicere cogamur. Quae quidem principia in ordine ad argumentum, de quo agimus, in duas classes secerni possunt; in ea nempe quae ad Ecclesiae auctoritatem, et in ea quae ad ipsius Beatae Virginis dignitatem ac gloriam referuntur.

58. Quoad primum, si de temporibus post dogmaticum fidei decretum succedentibus sermo sit, supervacaneum

plane foret longa id oratione contendere. Nihil quippe certius solemniusque habuit Angelicus, nihilque magis inculcavit, quam Sedi Apostolicae ceu arci tutissimae, firmissimoque Catholicae unitatis centro et propugnaculo, nobis esse adhaerendum. Audire libeat ea, quae docet 2. 2. q. I. art. X, ubi quaestionem expedit ac dirimit = Utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare. = Cui quaestioni satisfacit hisce verbis. « Ad illius auctorita- » tem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem per- » tinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab » omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet » ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, et » difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur » in Decretalibus, extra de baptismo, cap. *Majores*. Unde » et Dominus, Luc. XXII. 32. Petro dicit, quem Summum » Pontificem constituit: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non* » *deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fra-* » *tres tuos;* et hujus ratio est, quia una fides debet esse » totius Ecclesiae, secundum illud I. Cor. I. 10, *Idipsum* » *dicatis omnes, et non sint in vobis schismata:* quod ser- » vari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur » per eum qui toti Ecclesiae praeest; ut sic ejus sententia » a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam au- » ctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, » sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam, » ut congregare Synodum generalem et alia hujusmodi ». Hactenus ille.

59. Sed parum foret expressae tantum, ac dogmaticae definitioni subesse, quae sane Catholicorum omnium obligatio est: verum et quibuslibet Ecclesiae votis, exem-

plis, suasionibus edocemur obsequentem gerere voluntatem. Qua in re perspicua sunt equidem et magni ponderis quae S. Thomas edisserit 2. 2. q. 10. art. 12. Corp. ubi ait: = « Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetu- » do, quae semper est in omnibus aemulanda, quia et ipsa » doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctorita- » tem habet. Unde magis standum est auctoritati Eccle- » siae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel » cujuscumque doctoris ». = Eadem ferme habet Quodlibeto II. art. 7; quae certe excerpserat ex magistri sanctissimi Augustini celeberrima ac trita sententia (1). = « Si » quid per orbem tota frequentat Ecclesia, quin ita facien- » dum sit disputare, insolentissimae insaniae est ». = Heic profecto Angelicus principium theologo tradit, seu normam atque criterium suppeditat, ad cujus amussim quaestiones, quae forte moveantur, possit ac debeat expedire (2). Quid porro? negabunt ne posse unquam contingere, ut respectu opinionum quarumdum, quas veluti privati doctores illi admiserint, Ecclesia in adversam magis quandoque propendat sententiam? Sed praeterquamquod rei possibilitas facto ipso aliquando comprobatur, verbis insuper lusisset Angelicus, regulas edocendo pro casu omnino impossi-

(1) Ep. 54 ad Januar. Cap. 5.

(2) Nec objiciat quis eo articulo dubium illud agitari = Utrum pueri sint invitis parentibus baptizandi = quae specialissima quaestio est. Respondemus enim quamfacillime, secernendam esse applicationem a principio ipso. Quaestioni enim peculiari dirimendae adhibetur heic principium generale, quod patet ex ipsa verborum extensione, quibus adstruitur hanc Ecclesiae consuetudinem esse *semper* et in *omnibus* aemulandam.

bili, vel uti loquebantur scholastici, *de supposito non supponente.* Vel dicetur fortasse hoc quidem de Augustino, Hieronymo, caeterisque Sanctis Patribus evenire potuisse, non vero de Aquinate Doctore nostro vel etiam suspicandum? Sed generalibus verbis semetipsum quoque includere eum voluisse, plusquam certissimum est, tum quia Patres illos summa animi veneratione prosequebatur, et Augustinum praesertim, cujus doctrinae veluti succum excerpsit, et in scripta sua derivatus est: tum quia a candida anima illa ac modestissima nihil alienius esse potuit, quam altius quidpiam de se ipso sentire quam de aliis. Abstrahendo igitur, si lubet, ab edita faustissima dogmatis definitione, mihi videtur prodigio simile si aliquis jamdiu non cederet apertissimae huic, ac pene invictae argumentationi. Ex vi inconcussi principii, quod fundamenti loco statuit Angelicus, posito quocumque discrimine inter Ecclesiae consuetudinem, seu Pastorum, Fideliumque, ac praesertim Sedis Apostolicae sensum, ac propensionem, et inter privatam alicujus vel nobilissimi Doctoris, verbi gratia, Sancti Thomae ipsius opinionem, prima illa prosequenda est, altera vero abjicenda. Atqui sane Ecclesia, etiam nondum edita formali solemnique definitione, consuetudinem, opinionem, favorem evidentissime exibuerat ad Immaculatae Conceptionis omnino affirmandum, atque devotis affectibus percolendum mysterium. Huic igitur erat Thomistis omnibus adhaerendum, nisi vellent in privatae, ac singularis cujusdam opinionis gratiam (1) principio ejusdem fundamen-

(1) Hypothetice loquimur, ut patet, posito scilicet contrariam fuisse Immaculato Virginis Conceptui Divi Thomae sententiam, quod pro nunc nec asserimus adhuc, nec negamus.

tali valedicere. Nescio certe, quo pacto ab argumento hoc se se quispiam expedire potuisset. Vel enim negasset *factum* universalis hujusce consensionis (de totalitate morali me loqui palam est); et hoc fieri nequibat sine impugnatione veritatis omnium oculis conspicuae, atque evidentissimae. Si enim viro probo de rebus suis, internisque cogitationibus testanti credendum est, cur fidem non promeruisset Ecclesia, dum Pontificis, Episcoporum, et Fidelium ore, et factis insuper disertissimis, de sensu cultus sui ac pietatis testimonium haud sane ambiguum exhiberet? Quis ergo verum Ecclesiae sensum noverat, si nesciebat populus, et si Pastores ipsi nesciebant? Admisso vero hoc facto, ille qui conclusionem respueret, is independenter etiam a fidei Decreto quo nunc obstringitur, axioma ac principium Doctoris Angelici ita aperte pessumdaret, ut non fuisset inter veros ejus discipulos hoc sane titulo percensendus (1).

(1) Si dixerit quispiam consuetudinem, de qua loquitur S. Thomas, esse illam tantum, quae antiquissima, ac immutabilis sit, non quae recentius invecta, ut quidam de veneratione Conceptus Virginis Immaculati calumniati sunt, tria reponemus. 1. Ubi Auctor non distinguit, nec nos distinguere debemus: S. Doctor vero dicit consuetudinem illam aemulandam *in omnibus*. 2. Satis antiquam propugnamus consuetudinem hoc mysterium colendi; immo semper viguisse contendimus inter fideles piam illam sententiam, ac traditionem. 3. Demum Ecclesiam hujus temporis non minori auctoritate pollere, quam olim: id quod Melchior Canus disertissime pro more suo, ac luculenter evincit contra nonnullos, qui judicium de fidei controversiis referendum ducebant Ecclesiae, quae fuit primis temporibus, non vero illi, quae nunc est. Vide de Loc. Theol. Lib. II. Cap. VII.

60. Verum enim vero quod maxime gratulandum est, non principium hoc tantum suppeditavit nobis Praeceptor doctissimus; sed et ejusdem applicationem. Rem prosequor tironibus ipsis notissimam, quam tamen nefas ducerem silentio penitus praeterire. In ipsa quaest. 27 tertiae partis Art. 1. in argumento *sed contra*, ut ostendat Deiparam natam esse a qualibet labe originali purissimam, in hunc modum ratiocinatur: = Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur Festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit Sancta. = Nunc quicumque Logicae regulas abdicare noluerit, substituendo tantum *Nativitatis* nomen alteri *Conceptionis* rem plane confectam esse conclamabit. Nec ullam equidem huic argumento responsionem videre unquam licuit, quae nedum plane satisfaciat, sed remote etiam probabilis fuisse videretur. Si enim vel innuissent quidem argumento heic usum esse Angelicum ad rem comprobandam prorsus inepto (1), praeterquamquod sine tanti Doctoris injuria ac contemptu id effutire neutiquam potuissent, repugnarent praeterea ipsi

(1) Quidam conqueruntur veram mentem S. Doctoris nonnullos inquirere, et pene dixerim expiscari ex iis locis, ubi obiter rem pertractat Angelicus, et non ubi de ea disserit ex professo; quod praesertim de argumentis *sed contra* dictum volunt. Sed plura juverit observasse 1. argumentum ipsum *sed contra* exprimere veram S. Doctoris sententiam, nisi paucis iis locis, ubi objectionis more illud usurpat, cui in fine articuli satisfacit. Deinde non praecise utimur hoc argumento, ut veram investigemus de Conceptione Virginis Divi Thomae sententiam; sed criterium haurimus generale, quod ipse suppeditat, ex quo *a simili*, ut ajunt, argumentamur ad affinem et persimilem aliam quaestionem dirimendam.

criticae rationi, quippe cum constet non fuisse hanc nisi applicationem specialem illius principii generalis, de quo mox dictum est, quod Ecclesiae consuetudine nititur. Si vero e contra argumenti vim et robur agnoscant ad Nativitatis tantum, non Conceptionis Beatae Mariae Virginis, puritatem sanctitatemque adstruendam, quamnam assignare possent hujusce discriminis causam, quae commentitia non sit, atque ad arbitrium conficta? Forsan quia Nativitatis festivitas est primitus instituta? Vel quod non ita perspicue ac determinate patesceret ipsius, quam alterius objectum, et scopus, quo animum intenderet Ecclesia? At primum levissimum foret, ac Theologi gravitate prorsus indignum, quum praesertim ipsa Deiparae Nativitatis festivitas non statim ab Ecclesiae incunabulis inducta sit, sed serius frequentata; quod quidem ex S. Augustini testimonio omnes eruunt apertissime, atque admittunt. Quid ergo refert an serius ocius Conceptionis festum coeptum fuerit celebrari? Superest, ut ambigi fortasse potuisset de vero hujus festivitatis objecto: quae tamen hypothesis, si re nondum plane declarata, doctis quibusdam antiquitus haud displicuit (1), iis dein monu-

(1) P. M. Nicolai, ut de caeteris sileam, in annotationibus quibusdam historicis et dogmaticis, quibus Summam S. Thomae illustravit, haec habet = Quid si dicamus quoque non oportere necessario Conceptionem credi sanctam, ut celebretur, sed respectum habere ad personam futuram sanctam: praesertim vero propter excellentiam quamdam, quae sit Conceptionis finis etc.? = Sed pace viri doctissimi absurda mihi haec semper interpretatio visa est. Primo quia S. Thomas dicit = Ecclesia non celebrat festum nisi de sanctis; = et interpres dicit contra = non oportere credi sanctam Con-

mentis eversa esse, ac pene obliterata, ut cum jamdiu certo constaret ex intentione ac mente Ecclesiae non aliud esse illius cultus objectum, quam absolutam atque omnimodam sanctae illius animae a qualibet originis noxa praeservationem, pronum erat, qualibet jam dubitationis umbra semota, principium Magistri, ut veros discipulos decet, in casu persimili non Nativitati tantum, verum et Conceptioni applicare, ut hanc etiam omnino puram, immaculatam, et sanctam esse colligerent, ut revera plerosque intulisse probatum est.

61. Cum itaque qui Conceptionem Virginis immaculatam propugnarunt, dum visi sunt contrariam Angelico Doctori admisisse sententiam, id tamen reapse fecerint in vim ac sequelam illiusmet doctrinae, et ne principia ac veluti axiomata ab ipso tradita abnegarent, exinde colligitur quam vere, graviterque dictum sit a cl. Salzanio nostro (1) = secutos hos quidem fuisse Praeceptoris non litteram, quae occidit, sed spiritum qui vivificat; = et jam pridem ab Ambrosio Catharino: = Ille denique impugnat doctrinam Thomae, qui illius magis, quam Ecclesiae auctoritati innititur: = ac denique non injuriam irrogari Do-

ceptionem, ut celebretur. = 2. quia in Nativitate ipsa celebraretur sufficienter festum Sanctificationis, sicut revera in festo Nativitatis S. Joannis Baptistae non celebratur praecise illud tantum temporis instans, quo in lucem editus fuit, sed illud praesertim, quo fuit in utero sanctificatus. 3. quia non celebrat Ecclesia *excellentiam quamdam, quae sit Conceptionis finis*, sed ipsam B. V. Conceptionem.

(1) Op. cit.: Corso di Storia Ecclesiastica dalla venuta di G. C. sino a noi comparata colla Storia Politica dei tempi. Lib. XVII. num. 17.

ctori praestantissimo, sed magis debitum honoris obsequium ab iis rependi, qui censentes eum fuisse innocenter hac de re deceptum, aliter omnino scripturum ac dicturum, si mortalem nunc quidem vitam degeret, asseveranter affirmant. Non sum nescius hanc suppositionem a Cajetano stultitiae nota infamari, ubi veterum sententiam circa quaestionem hanc ex praejudicata mentis opinione expendens, haec quidem habet (1): = « Restat ergo, ut sola » illa *stultitia* pro glossa sanctorum, et antiquorum docto- » rum admissione digna sit, scilicet si sancti et prisci » Doctores nunc essent dicerent oppositum. Hanc ergo » glossam ita veram putaverim, quemadmodum verum » puto quod si Christus nunc in terris conversaretur, mu- » taret doctrinam fidei suae ut conformaret se populis ». = Hactenus ille; cujus tamen verba, licet viri doctissimi, dum perlegi, quamquam satis clemens sum in disputando, tamen debui subirasci. Ergo ne stultum dixeris S. Augustinum, qui de S. Cypriano fidenter ajebat = « Nec nos » tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Eccle- » siae concordissima auctoritate firmati, cui et *ipse sine* » *dubio crederet* si jam illo tempore quaestionis hujus ve- » ritas eliquata et declarata per plenarium Concilium so- » lidaretur? » (2). = Ergo ne stultitiae argues sapientissimum Theologum Melchiorem Canum, qui affirmare

(1) Opusc. de Concept. B. V.

(2) S. Aug. Lib. I. Contra Donatist. Cap. 18. qui licet loquatur de quaestione definita per plenarium Concilium, non excludit profecto vim definitionis, quae a Romano Pontifice ex Cathedra loquente proferatur. Sed de hoc alias.

non dubitat (1): « Primum quidem res nonnullae non » erant tum adeo in Ecclesia definitae, ut nunc esse vi- » demus ..... atque etiam si nostra hac aetate illi » fuissent, *quaedam profecto aliter et facerent, et loque-* » *rentur* »? Ergo ne stultitiae obnoxius extitit magnus ille Ordinis nostri splendor S. Ludovicus Bertrandus, vel alios stultitiae accusavit, dum, referente ejusdem Vitae scriptore (2), dicere solebat: « Omnes antiqui Doc- » tores, qui oppositam sententiam probarunt, *suam opinio-* » *nem absque dubio mutaturos,* si hoc nostro tempore vi- » xissent »? Ergo ne demum vel illi veteres numquam errasse dicendi sunt, et quamdam veluti infallibilitatem adepti: vel si quandoque fuerint in errorem quempiam innocenter prolapsi, ita obstinato animo ei adhaererent, ut ne cognita quidem rei veritate, eamdem faterentur? Christus equidem, si nunc in terris conversaretur, fidei suae doctrinam ne minimum certe immutaret, ut blandiretur populis, vel potentium placitis. Sed hoc exemplum, quo abutitur Cajetanus, ad rem non est, neque Christo applicari potest, neque populo. Non Christo quidem, qui infallibilis veritas, ac sapientia cum sit, nonnisi absurde posset quispiam ei vel doctissimus comparari. Ex parte vero populi, falso supponit Cajetanus agi hic de plebis indoctae, ac veluti dixerim, muliercularum cerebrosa ac mutabili opinione; quum e contra universus christianus populus voce eadem iisdemque plausibus immaculate Conceptam Virginem jamdiu salutaret. Quid ergo stultitiae,

(1) De loc. Theol. Lib. VII. Cap. III.

(2) Hic fuit P. Vincentius Justinianus Ord. Praed.

quid injuriae proferemus in virum humillimum, ac veritatis magis quam opinionis amatorem, si eum dicamus, ubi nostra aetate viveret, caeteris consensurum in tuendo hoc immaculati Conceptus mysterio? Nonne injuriam illi potius irrogaret atque calumniam, qui eum dicat Ecclesiae decreta, cujus in omnibus consuetudinem et auctoritatem venerandam esse docuit, propriae tamen opinionis amore, nunc si viveret, oppugnaturum?

62. Sed jam alia alterius generis principia expendere vacat, quae de ipsa Deiparae gloria, privilegiis, dignitate disserens, statuit: quae si plenius et ad ultimas usque conclusiones in iis contentas evolvantur, nos veluti manuducere possunt ad immaculati Virginis Conceptus sententiam non ut veram solummodo, de quo modo ambigere nefas est, amplectendam, sed etiam ut plane consonam angelicae Aquinatis doctrinae. Ac exordiri liceat ab aureo illo ejusdem effato, quod a S. Anselmo veluti mutuatus est (1); quod videlicet « sub Christo, qui salvari non » indiguit tamquam universalis Salvator, maxima fuit Bea» tae Virginis puritas » (2). Et alibi etiam clarius (3): « Oportebat ut Mater Dei maxima puritate niteret: non » est enim aliquid dignum receptaculum Dei, nisi sit mun» dum, secundum illud, Ps. XCII. 5. *Domum tuam, Domine,* » *decet sanctitudo* ». Certe heic S. Thomas puritatis nomen usurpat non ad virginei decoris florem, sed ad sanctitatem

(1) Verba S. Anselmi haec sunt = Conveniens fuit ut illa Virgo ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi. = Lib. de Conc. Virginali Cap. XVIII.

(2) 3. P. q. 27. art. 2. ad 2.

(3) 1. 2. q. 81. art. 5. ad 3.

omnimodam atque innocentiam designandam (1). Haec autem non fuisset profecto maxima sub Christo, nisi Virginem a peccati cujusque, etiam originalis, nota immunem extitisse fatearis. Major quippe puritas et intelligitur, et porro est in primaeva cujusque labis exemptione, quam in emundatione a labe contracta. Nec tamen prima illa admissa, Filio coaequaretur, ut jam non foret *sub Christo*, sed ad omnimodam cum illo paritatem consurgeret: quod falsum esse patet tum ratione principii, quod in Christo fuit intrinsecum ob unionem hyposthaticam (2), in Maria vero extrinseco Dei privilegio conlatum: tum ratione excellentiae, quae in Christo fuit plenissima atque undequaque perfecta, nec augeri quidem potuisset (3): Maria vero plenitudinem gratiae nacta est in ordine ad finem divinae maternitatis, et potuit augmentum ejus suscipere, uti revera suscepit (4). Tum denique ratione causae meritoriae, quia mater nonnisi intuitu meritorum Filii fuit a peccati labe praeservata, et hoc sensu redempta jure dici potuit, et Christus nobiliori sane ratione ejusdem quoque Salvator nuncupari (5). Quum igitur summus ac

(1) Vide quae habet 2. 2. q. 7. art. 2. ubi impura dicit esse ea, quae vilioribus rebus miscentur; et sic impuritatem creaturae rationalis in eo sitam esse docet, quod *temporalibus per amorem se subiicit;* puritatem vero *in elevando se ad Deum.*

(2) 3. P. q. 2. a. 12. c. Item q. 7. art. 13. ad 2. Item q. 34. art. 3. ad 2.

(3) 3. P. q. 7. a 12. C.

(4) 3. P. q. 7. art. 10. ad 1.

(5) Etiam illi Theologi, qui Mariam nec debitum quidem originalis peccati incurrisse contendunt, et quod ejus voluntas in Adami peccantis voluntate neutiquam fuerit iuclusa, fateri tamen debent,

maximus puritatis gradus *etiam sub Christo*, nec intelligi nec esse possit, nisi Deiparam a peccato quoque originali fateamur immunem, eam revera hac noxa praeservatam esse iisdem S. Thomae principiis jure colligimus (1).

63. Caeterum ratio ipsa, quam allegat Divus Thomas, id aperte revincit; quod scilicet omnimoda perfectaque puritate nitescere opus erat Illam, quae Unigenitum Dei, plenum gratiae ac veritatis debebat quondam in gremio sanctissimo singulari privilegio deferre. *Non enim est aliquid dignum Dei receptaculum, nisi sit mundum.* Quaeso: de qua munditia loquitur Angelicus? de ea, quae excludat omnem immunditiam etiam praeteritam, vel solum per exclusionem actualis immunditiae, quae simul inesset quum coepit esse actu mater Dei? si primum dixeris, a sancti Doctoris mente maximopere aberrabis. Sic enim potuisset Deipara (apage blasphemiam!) non peccatrix modo, sed gravissimis atque nefandis, quod absit, sceleribus obstricta autumari, quin divina maternitate censeretur indigna, dummodo ante Verbi Conceptionem fuisset

et fatentur id evenisse intuitu meritorum Christi, ut inferius exponemus.

(1) Video Cajetanum hoc argumenti genus, quod *pietatis regulam* per irrisionem nuncupat, impugnare, quia eo posito, liceret pari jure concludere Beatam Virginem fuisse de Spiritu S. conceptam aliaque hujusmodi, quae referre, ac refellere pudet. Solum dico, non id utique contendisse quemquam illud quod nobis videtur magis pium, ex hoc solo demonstrari semper magis verum: sed in casu nostro pietatis regula aliis argumentis luculentissimis fulciebatur.

penitus emundata, quod supernae gratiae virtute, et actibus perfectae charitatis fieri posse non est qui dubitet. Hoc tamen dictu nefas, et erroris monstrum omnino convellit ac proterit Angelicus hisce verbis atque argumentis (1) « Respondeo dicendum, quod illos, quos Deus » ad aliquid eligit, ita praeparat, et disponit, ut ad id, ad » quod eliguntur inveniantur idonei secundum illud II. ad » Corinth. III. 6. Idoneos nos fecit ministros novi Testa- » menti. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut es- » set mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus » per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit secun- » dum quod Angelus ad eam dicit Lucae I. 30. Invenisti » gratiam apud Deum: ecce concipies etc. Non autem » fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando, tum » quia honor parentum redundat in prolem, secundum » illud Proverb. XXVI. 6. Gloria filiorum patres eorum; » unde et per oppositum ignominia matris ad Filium re- » dundasset: tum etiam quia singularem affinitatem ha- » buit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur » autem II. ad Corinth. VI. 15. Quae conventio Christi » ad Belial? Tum etiam quia singulari modo Dei Filus, qui » est sapientia Dei, in ipsa habitavit non solum in anima, » sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 14. In malevo- » lam animam non introibit sapientia, nec habitabit in » corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum » est, quod beata Virgo commisit nec mortale, nec ve- » niale; ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. IV. 7. » Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te ».

(1) 3. P. q. 27. art. 4. corp.

Et paulo ante in argumento *sed contra,* attulerat percelebre illud S. Augustini testimonium quo ajebat (1): « De » Sancta Virgine Maria propter honorem Christi nullam » prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestio- » nem: inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum » fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod » concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum » habuisse peccatum ». Quae verba pene excripsit Tridentina Synodus, dum Can. 25. Sess. VI. definivit « si quis » hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita » peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei pri- » vilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccle- » sia, anathema sit ». Principium est igitur inconcussum, ac saepius ab Angelico Magistro inculcatum, quod vel unum veniale peccatum quocumque vitae suae tempore admissum, et licet postmodum ita plene perfecteque deletum, ut nec vestigium quidem ejus ullum superfuerit, obstasset tamen quin idonea foret mater Dei. Eccur ergo non idem prorsus dicemus de originali peccato, si vel minimo etiam temporis puncto benedictam illam foedasset animam, licet dein Divino afflante Spiritu illico emendatam? Haud me latet hanc discriminis causam nonnullos praetexuisse quod peccato originis *nos proprie peccare non dicimur, quia non committimus illud voluntario actu, sed contrahimus consequentia naturali* (2). Ast mihi semper haec responsio

(1) Lib. de natura et gratia. Cap. 36.

(2) Ex P. M. Nicolai in illum divi Thomae effatum, quo statuit Beatam Virginem non fore *idoneam matrem Dei, si peccasset aliquando.*

ita displicuit, ut cavillationem eam potius redolere, quam solidam theologorum rationem praeferre nullo non tempore censuerim. Ergone originis reatus, qui etsi aliena, non propria voluntate contractus, sufficit tamen ut impediat quod minus est, scilicet vitae aeternae consequtionem; non sufficeret ad concludendum id, quod est majus, divinae videlicet maternitatis jura, munus, dignitatemque assequendam? Quis negat originalem quoque culpam veram maculae ac sordis praeseferre foeditatem? Nonne passim hac nota eam denotant Divina ipsa sacrarum literaram eloquia? Nonne ob id qui Baptismatis undis saluberrimis tinguntur, eos ablui a sordibus, detergi, atque emundari profitemur? Respondeant ergo, si quidem fieri possit, huic, quod instauramus, argumento. *Non est aliquid dignum receptaculum Dei nisi sit mundum.* (1): Haec autem munditia debet integrum vitae cursum plane complecti, quod antea animadversum est; alias illegitime ac nugaciter intulisset Angelicus omni prorsus, veniali etiam peccati actualis contagio, Deiparam immunem perpetuo extitisse. Atqui porro munda non semper fuerit, quae vel unico etiam momento primaevae labis noxam contraxisset. Igitur et hac quoque exemptam eam fuisse necesse est. Paucis: vel illa quae domum Dei decet sanctitudo *perpetuo* intelligenda venit, vel *ad tempus;* si perpetua, non potuit ulla umquam macula foedari; si ad tempus, tunc ne actuali quidem crimine praepedita foret, quominus aptum fieret Dei receptaculum, dummodo ante Numinis illapsum emundata e sordibus extitisset: quod tamen divi

(1) Sunt verba ipsa S. Thomae loco superius citato.

Thomae doctrinae maxime repugnat, immo et rei veritati. Illos igitur, qui haec duo nonnihil inter sese, quoad quidem hunc effectum, arbitrario discrimine secernere voluissent, profecto facillimum censeo argumentorum copia ac pondere obruere. Ac primo quidem illud exquirere placuisset an impedimenti loco haberent, nec ne, originalem ipsam noxam, ubi nondum deletam, maternae erga Deum dignitatis ac nominis obtinendi. Non arbitror certe quemdam in eam prolapsurum insaniam, ut tam diversas, atque adversa fronte pugnantes simul eodemque tempore copulari posse contenderet qualitates; ut Eadem esset Mater Dei, et filia Daemonis, ac nefasto foedere lucis cum tenebris, Christi cum Belial possibilem censeret conventionem. Pro certo igitur habebant et ipsi tabernaculum sola etiam haereditaria macula inquinatum Deo prorsus, quamdiu non deleretur, indignum. Atqui ex Divi Thomae praeclara sententia, quod obest hic et nunc divinae maternitatis capessendae dignitati, eam excludit etiam in futuro excipiendam. Licet ergo ratione personalis indignitatis ex parte *tabernaculi* majus quidpiam demeriti suspici potuisset in voluntario atque actuali peccato, ratione tamen Dei inhabitantis, atque gratuito illud eligentis, indecens aeque atque indecorum fuisset in eam domum ingredi, suumque inibi, carne assumpta, figere domicilium, quam Diabolus olim atri veneni sanie umquam foedasset.

64. Praeclare igitur sapienterque eos fecisse puto, qui vel nullam probandi vim inesse contendunt argumentis a Sancto Praeceptore adhibitis; vel si quidpiam probent, evincere pariter Deiparae ab originali labe praeservationem.

Immo, quod a nemine forsan hucusque adnotatum est, hoc postremum efficacius etiam exinde arbitror comprobari. Nam si honor vel ignominia parentum in filios redundat, quae prima ratio est, quam profert Angelicus, quis inficias iverit id non ex voluntate actuali, sed ex macula vel dedecore parentibus inhaerente prodire? Quod enim est personalis actus, prout personalis est, sive ad gloriam sive ad ignominiam referatur, neutiquam, vel certe minus proprie, in familiam filiosque promanat: sed macula, servitus, infamia, etiam quum poenae tantum, multoque magis si et culpae rationem et dedecus praeseferant, in filios refundi conspiciuntur, infaustaque veluti haereditate traduci. Quum ergo originale peccatum ad naturam, actuale vero ad personam referatur, et quum humanam naturam assumpserit e Virgine Dei Filius, non vero ipsam individualem Matris voluntatem, aliquo sensu praestabat magis eam ab originali, quam actualibus noxis, levioribus saltem, eximere; quum primum utique gravius vulnus, atque ignominiam adferat, quam venialia (1), quibus nec charitas adimitur, nec praecluditur omnino aditus ad regni caelestis gloriam capes-

(1) Card. Pallavicinus hoc urget luculentissime argumentum; ac cum sibi objecisset hanc rationem non satis arridere Cardinali De Lugo eo quod peccatum veniale voluntarium sit, non item originale, in hunc modum respondet: = È certo che è in peggiore stato un fanciullo col peccato originale e senza verun peccato veniale, che un uomo in grazia di Dio con mille peccati veniali . . . . . Adunque se la carità di Cristo verso la Madre fece che Egli con grazia specialissima la tenne esente da ogni peccato veniale, il quale pure non avrebbe tolto ch'Ella non fosse oggetto amabile negli occhi di Dio e del Figliuolo, e adorabile da tutte le creature, molto più è

sendam. Id quod si duabus, quae sequuntur, rationibus, quas videlicet adfert Angelicus, accomodaveris, adeo consentaneum reperies, ut in meam lubenter sententiam concedas. Singularis enim affinitas, quam habuit ad Christum, quae altera ratio est; et singularis modus quo Filius Dei in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero, quae est tertia, excludit quidem omnem vel in singularibus actibus levissimi reatus umbram, sed eam praecipue, quae animam corpusque ipsum infausta haereditate inficit, atque commaculat.

65. Possem et illud urgere, quod sine ambagibus S. Thomas profitetur Art. I. ejusdem quaestionis 27. majora prae caeteris, etiam in speciali de quo agimus argumento, conlata Mariae privilegia fuisse (1). Quodnam autem privilegium uberius acceperit, si ut quibusdam aliis conti-

credibile che abbia impedito in lei il peccato originale, il quale l'avrebbe renduta per quel tempo oggetto di abbominazione a Dio e al Figliuolo, e serva del Diavolo, levandole per tutta l'eternità il pregio di non essere stata mai nemica, ma sempre amica di Dio =. Haec responsio ita solida est, ut prodigii loco habeam, si non omnibus satisfecerit, vel quispiam potuerit denuo eamdem difficultatem proponere atque iterare.

(1) En ejus verba: « Rationabiliter creditur quod illa, quae genuit Unigenitum a Patre plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis majora privilegia gratiae acceperit . . . . . Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegium concessum, ut in utero sanctificarentur . . . . . Unde rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur ». Ne, quaeso, terrearis hac voce Sanctificationis, quum non designet nisi gratiae sanctificantis collationem, quae quidem non necessario praesupponit culpam praecedentem, sicuti certe nulla praecessit vel in Adamo, vel in Angelis, quum primum gratiam santificantem adepti sunt.

git, fuisset postmodum a culpae macula emundata? An quia potioribus gratiae donis instructa? Sed tunc Angelicus a propositae quaestionis argumento imperite aberrasset, quum hic amplior gratiarum cumulus neutiquam pendeat a temporis prioritate, quo sanctitatem fuerit adepta. An quia post primum a conceptione momentum hanc emundationis gratiam illico obtinuerit, quae caeteris ad plures fortasse menses dilata sit? (1). Ast nec hanc temporis prioritatem innuit quidem S. Thomas, nec illa tale tantumque privilegium exhibet, quae Deiparam a Dei famulis sufficienti discrimine secernat: alias ex duobus infantulis, si quis prior Baptismatis undis abluatur, is de speciali veluti altissimoque privilegio adepto poterit gloriari (2). Verum, his praetermissis, vel per summa, ut ajunt, capita delibatis, liceat tandem aperta atque irrefragabili conclusione inferre quod assumpseram hoc quidem loco demonstrandum, plura scilicet atque illustria jacta fuisse, atque huc illuc disseminata ab Angelico Doctore principia, e quibus cortice detracto, vel expresso succu, immaculati Beatae Virginis Conceptus doctrina delitescit, vel elicitur apertissime.

(1) De S. Joanne Baptista sat constat, tunc quum in matris utero in Visitatione Mariae gestiens exultavit, ab originis noxa ablutum. De Hieremia vero praecisum hujusce emundationis tempus nos latere censeo, quum illud tantum reperiatur: = Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva santificavi te. = (Hier. I. 5.)

(2) Commentitia est P. Nicolai interpretatio hoc discrimen in eo collocantis, quod (ad aliorum differentiam) nullae originalis peccati reliquiae in ea permanserunt. Nam de hisce reliquiis, ac praesertim de fomite, Sanctus Thomas disserit in articulis sequentibus: hic vero de ipsa agit peccati immunitate.

66. Verumenimvero heic me temeritatis nota incusandum esse vereor, quasi scilicet qui nec tanti quidem praeceptoris discipulus vocari dignus sim, in eum mihi assumem ac arrogem Censoris officium. Si enim, inquiunt, ea principia statuit, unde pronum erat hanc educere conclusionem, eccur eam praeclaro, quo fulgebat ingenio, non elicuit ipse, nec de ea quidem cogitavit? Esto quidem non deesse e scriptoribus nonnullos, qui principiis praejactis, vel nesciunt vel nolunt legitima inferre consectaria. At hunc sive ingenii sive probitatis defectum Theologorum Principi tribuerene quispiam poterit sine injuria, atque calumnia?

67. Hac tamen objectione sive querela nedum permovear, quin potius censeo facillime abigendam. Ad quod profecto non una suppetit via, qua praeivisse viros doctissimos non parva animi gratulatione conspicio, quorum vestigiis insistere et gloria mihi sit, et voluptas. Sic enim manifesto constabit, vel numquam contrariam eum sententiam propugnasse, vel ita innocenter deceptum, ut nec ingenii ullum, nec sapientiae, nec sanctitatis ob id expertus fuerit, vel experiri debeat detrimentum.

68. Ex iis vero, qui primum defensionis modum complexi sunt, duplici pariter ratione adniti potuerunt, ut Scholarum Angelum ab errore maculati Conceptus absolverent; quorum primum jure *Criticum* nuncupaverim, qui in expendenda textus genuina lectione versatur; alterum vero dixerim *hermeneuticum,* qui in ipsa textus interpretatione consistit. De utroque seorsim disseramus.

§. IV.

69. Ac primum illud quidem, quo nodus secatur potius quam dissolvitur, vitiata scilicet atque corrupta fuisse S. Thomae opera iis locis, quae vulgo in contrarium adducebantur, fateor quod mihi arrideret vehementissime, ubi argumentis probabilibus id adstrui posset: quae si uberiora, quam hucusque allata sint, vel a nostris, vel ab extraneis promantur, ea ambabus ulnis amplexuros nos esse pollicemur. Quid enim jucundius ac pretiosius discipulis, decretoria hac ratione Magistri praeclarissimi sententiam catholico nunc dogmati conciliare? Quousque tamen eruditorum virorum laboribus vigiliisque haec fortasse clariora documenta prodeant, mihi liceat non contradicendi studio, sed veritatis amore, praecipua quaedam expendere, quae vel ancipitem sententiam efficiant, vel potius hypotesim ipsam penitus evertere videantur. Illud igitur in primis postulo: si loca illa vitiata sunt, vel adulterina manu prorsus adjecta, ubinam, et quando, et a quibus illa primitus corruptio prodiiset? Anne Dominicani omnes huic depravationi consensissent, vel aliqui tantum? Si aliqui, cur caeteri siluerunt? Si omnes (quod suspicari absurdum est et nefas), numquid ipsi soli operibus Sancti Doctoris utebantur, et non potius extraneorum quamplurium terebantur manibus? Cur igitur ne isti quidem de hac, quae gratuito sopponitur, corruptione conquesti sunt? Quomodo non aliis codicibus, qui corruptorum manus effugissent, in medium prolatis, eorum non arguissent temeritatem? Cur ne id quidem suspicatus est S. Pius V, et in ope-

ribus, quae Romanis typis imprimi curavit, vulgatam tamen lectionem plane retinuit? Cur demum viros emunctae naris, Catharinum in primis Mariani privilegii defensorem acerrimum, illud facinus latuisset? Natalem Alexandrum heic sat fuerit nuncupare, virum eruditissimum, nec certe hac de re suspectum, utpote qui consodales suos, ut diximus, invidia posthabita, sine ullis ambagibus ad piae sententiae tuitionem hortatus est. Hic porro adversus Petrum de Alva, atque Launojum tertiam Summae Theologicae partem totam Sancto Thomae abjudicantes edisserens, haec ad rem nostram inquiebat: (1) « Nul» lus de ea (traditione) dubitavit unquam . . . . . Acriter » fuit olim disputatum de Conceptione Immaculata Dei» parae Virginis. Scotistae doctissimi piae, et vulgatae » jam opinionis patrocinium susceperunt, omni momen» torum genere adversus Thomistas pugnantes, et ipsius » Sancti Thomae adversus illos urgentes auctoritatem in » I. Sentent. dist. 44. quaest. 1. art. 3. ad 2. dicentis » Beatam Virginem *immunem fuisse a peccato Originali et* » *actuali.* Thomistae ejusdem Sancti Thomae doctrinam » 3. Part. quaest. 27. art. 2. opponebant. Nemo Scotista» rum respondit tertiam partem, totamque Summam » Theologicam non esse S. Thomae germanum opus: » quod certe fecissent, nisi fuisset omnibus exploratum, » illam Angelico Doctori ut parenti legitimo esse tribuen» dam ». Fateor ibi de tota Summae Theologicae tertia parte disputari. Sed praeterquamquod quaestionis 27 articulus secundus expresse nominatur quisquis videt prae-

(1) In hist. Eccl. saec. XII. et XIV. dissert. VI. art. XII.

terea argumentum, quo utitur Alexander speciali robore praeditum ad eorum, de quibus disserimus, genuinitatem atque incorruptionem adstruendam.

70. A praestantibus quidem praeclarisque auctoribus, quos alteri sententiae patrocinari video, adferri consuevit quaedam P. Joannis Nicolai, viri sane doctrina conspicui, protestatio, quam suae editioni Theologicae Summae praemisit, dicens « Se textum Summae Divi Thomae non a » typographicis tantum corruptelis expurgasse, sed maxi- » me ab affectatis, ac industria et studio relictis, quae le- » gitimum sensum, vel historicam sinceritatem veritatem- » que perverterent; hiatus quoque plures, et lacunas im- » plevisse ad supplendum seriem textus, quae alioquin » nulla erat, ac dubium lectorem relinquebat propter non » satis plenum sensum, vel in errorem inducebat propter » sensum illegitimum ». At Nicolajus ne digitum quidem ullo pacto intendit huic, quam agitamus, quaestioni: immo hanc lectionem quaestionis vigesimae septimae, prout in editis codicibus modo continetur, et germanam agnovit, et sategit immo notulis quibusdam adjectis confirmare. Citatis vero prooemii verbis de illis mendis loquitur, quae humana parum cavet industria, vel editiones praecedentes reprehendit, in quibus magna quandoque negligentia adornatis, affectata etiam industria nonnulla sphalmata fuerint relicta, codicum tamen collatione corrigenda: id quod eo praesertim fine atque consilio tantisper exaggerat, ut in naevis emendandis laborem ac diligentiam adhibitam, et proinde rei pretium lectoribus magis magisque commendet (1).

(1) Adde heic sermonem haberi de Summa tantum Theologica, quam unice edidit Nicolajus; quum interim ex aliis quo-

71. Caeterum hujus generis quaestionibus diluendis sive expediendis omnino excellit diligentissimus ac criticae artis peritissimus P. Joannes Franciscus Bernardus M. De Rubeis, qui tamen in ea dissertatione, quam edidit « De praecipuis Summae Theologicae editionibus, » cum mendorum correctione: deque genuino ejusdem » textu numquam et nuspiam depravato, » incorruptam eam Divi Thomae Summam esse probans, his verbis caput illius dissertationis quartum absolvit: « Hanc vero vice- » simam septimam tertiae partis quaestionem conferre » mihi libuit cum vetustis plurimis editionibus, maxime- » que cum Veneta anni 1493, easque omnes cum recen- » tibus omnino consonas deprehendi, quin adjectum quid- » piam, vel imminutum, aut demum immutatum su- » spicari quis valeat » (1). Hunc certe locum indigitabat cl. P. Perronius, dum in ejus, quod dixerat, confirmationem, videlicet = *Constanter sententiae de immaculato Virginis Conceptu S. Thomam adhaesisse,* = idque ex textu illo confirmasset, quo Angelicus Doctor Beatam Virginem ab originali peccato et actuali immunem servatam disertissime asseruit, ita prosequitur (2): = « Attamen cum » in sequentibus operibus, praesertim vero in *Summa,* et » in *compendio Theologiae* contrariam adstruere senten-

que S. Doctoris operibus nonnulla citentur, quae prima saltem fronte piae sententiae repugnare visa sunt. Sed de his postea.

(1) Heic porro expendit ac dirimit argumentum ex quodam Bromiardi loco depromptum, quo in corruptionem hujus textus Summae Theologicae conjiciendam, alii plures tum ante, tum postea, usi sunt. Vide, si lubet.

(2) Op. cit. part. 2. Cap. V. pag. 163. edit. Rom.

» tiam videatur, exinde factum, ut immaculatae Con-
» ceptionis vindices diversas inierint vias, quibus S. Do-
» ctorem ad piae sententiae patrocinium adducerent.
» Nonnulli, uti Card. Sfondrati . . . . . allegant testimonia
» ex suppositititiis opusculis S. Thomae, cujusmodi est
» quartum *de salutatione Angelica*: dein ex opusc. sexto
» verba proferunt ex Comment. in Epist. ad Galatas, et
» ex Comment. in Epist. ad Rom.: quem Cardinalem hac
» in re plures sive antiquiores, sive posteriores vel prae-
» cesserunt, vel secuti sunt. At fr. Bernardus Maria de
» Rubeis *in suis dissertat. criticis et apologeticis* osten-
» dit ea esse adscititia. Alii eo se receperunt, ut con-
» tenderent illa Aquinatis loca, in quibus contrariam
» adstruit sententiam, quae quidem ad quindecim nu-
» merantur, fuisse corrupta: verum eruditus idem auctor
» Diss. cit. falsum id esse luculenter evincit. Alii deni-
» que adnisi sunt ostendere, ex principiis S. Thomae,
» aliorumque illius aetatis scholasticorum circa genera-
» tionis rationem, ac circa modum transfusionis peccati
» originalis, hujusque naturam, eum nulla ratione in lo-
» cis, quae ex ipso, aliisque scholasticis adducuntur, piae
» adversari sententiae . . . . . *quibus ego*, concludit, *libenter*
» *assentior* ». = Hactenus ille: cujus verba eo lubentius attuli, quo in iis illa refulget matura ac gravissima rerum ponderatio, quae praeclari auctoris opera tot sane titulis eximia magis magisque commendet. Varias enim opiniones, diversosque modos exhibet hujusce nodi extricandi: sed illum tamen seligit, quem amplioribus fulciri censet rationum momentis. Si enim putasset illud de operum corruptione commentum inniti probabili fundamento ve-

ritatis, ea qua Theologus praestantissimus veneratione tanti Doctoris nomen atque doctrinam prosequitur (1), illam certe viam iniisset, quae omne vel remotissimum scrupulum abigit; non alteram, quam suis difficultatibus haud carere, inferius conspiciemus. Non ergo nobis quispiam succenseat, si primam, nisi gravioribus documentis prolatis, minus probabilem habeamus, immo plane falsam. Ad quod argumentis nonnullis extrinsecis magis etiam ac magis adduci, atque inclinari fatemur: quae quidem argumenta paucis illico aperiemus, facta cuilibet, sin minus placuerit, ea pro lubitu spernendi potestate. Atque in primis nemo diffitebitur, ea admissa hypothesi, vel sententia, multo gravius infligi vulnus ac veluti infamiae notam iis Dominicani Instituti alumnis, qui nonnumquam incusati sunt, ut diximus, de insigni ac nobilissimo denegato Mariani Conceptus privilegio. Si enim aliquam excusationem mereri potuerunt, re adhuc non definita, haec unica, vel potissima certe fuit, quod putarent S. Thomam ita scripsisse, ac docuisse. At si e contra, nedum quidpiam simile in Sancti Doctoris voluminibus,

(1) Vide Prolegomena *in Praelectiones Theologicas*, ubi vel in ipso operis initio, nempe §. I. num. 10. not. 2. haec leguntur: = Vestigiis tanti Doctoris eo libentius insistimus, quod ipse veluti sol effulserit in Ecclesia Dei, eaque vi mentis, copiaque et delectu doctrinae rem omnem theologicam prosecutus sit, ut *Angelici* nomen merito sibi comparaverit. Eum vel ipsi doctiores Protestantes magni faciunt; ac profecto vix theologum dixeris, qui ipsius opera, *Summam* praesertim, et libros *contra gentes* non legerit ac pervolutaverit. Nostra (S. J.) studiorum ratio Theologiae professores jubet eum ut Doctorem suum habere. =

externo saltem verborum cortice, invenissent, quin potius contrarium: et tamen diabolico veluti instinctu permoti, ut Beatae Virginis foedarent, vel minuerunt dignitatem, sacrilegas manus injecissent in ipsius Divi Thomae operibus nefario ausu corrumpendis, quis ab immani eos facinore defenderet, sive excusaret (1)? Dicent utique id paucis, non multis, neve omnibus fore adscribendum. Ast totus Ordo hanc veluti haereditatem nactus est, ut sui praeclarissimi Doctoris volumina ceu sacrum doctrinae ac gloriae depositum custodiret. Quomodo ergo non uno quidem in loco, nec in re utique levis momenti, corrumpi atque adulterari passus est, quin id vel

(1) Non agitur hic de una, vel altera vocula, quae ex amanuensium incuria immutari innocenter potuerint, vel abradi. Sed de corruptione data opera, et malitiose suscepta, et quidem non uno in loco, sed pluribus, in re gravissimi momenti: et dixerim etiam *sine scopo*. Sublato enim facto reali vel apparente, quo S. Thomas alterius fuisse opinionis censeri posset, quinam *scopus* adesse poterat Ordini, vel ejus alumnis, ut non per fas tantum, verum et per nefas, contrarium mordicus tuerentur? Prae oculis quidem habeo librum Wielmi cujusdam Episcopi, cujus nonnulla verba passim allegari video, nempe ista = Execrabilius est, quod nequam, et scelesti homines quidam, vel *ad S. Thomae auctoritatem enervandam*, vel, ut ego quidem arbitror, ad suam aliquam opinionem, quae in controversia vertebatur, tanti viri testimoniis fulciendam, et comprobandam egerunt etc. = Sed heic Wielmus ab indigitanda locorum, de quibus agimus, corruptione tam longe abest, quam quod maxime. Disserit enim de quibusdam Angelici hostibus, et qui textum corrumpere adnisi fuerant, juxta nonnullorum opinionem, ad ejus *auctoritatem enervandam:* quod certe de nostris dici potuisse nec Wielmus insinuat, et est ab omni prorsus veri specie alienum.

socordia inexcusabili adverteret, vel inexplicabili malitia reclamaret?

72. Sed et illud festivum accedit, quod illi corruptores fuissent simul omnium sagacissimi, simulque imperitissimi: sagaces quidem, qui ita noverunt adulterinam manum admovere, ut omnes deciperent, et antecedentia consequentibus totumque contextum concinne disponerent, ut demum in omnibus editionibus fallax lectionis modus induceretur. Sed imperite quoque rem exequuti forent, quia etiam posita hodierna, prout prostat, vulgàta lectione, non impossibile est (ut mitius loquar, utque statim data opera demonstrabo) cum pia de Immaculato Virginis Conceptu sententia eam conciliari. Nempe illi data opera textum Angelici adulterassent, ut doctrinam inveherent Virginis privilegio adversantem: et tamen ea verba adhibuissent, quae possint cum pia sententia apte cohaerere. Quis non illico conspiciat hanc mitiorem Divi Thomae, ejus nempe verborum explanationem, primam illam hypotesim prorsus evertere? Videamus igitur, si lubet, an revera Angelici textus, qualem nunc in editis operibus reperimus, possit nec ne in eum sensum exponi, qui cum definito Immaculatae Conceptionis dogmate conveniat.

§. V.

73. Hanc provinciam sibi assumpsit paucis ab hinc annis, et naviter eruditeque prosequutus est (1) egregius

(1) Opere superius citato = Esame sulla dottrina dell'Angelico Dottor S. Tommaso d'Aquino ec. Napoli 1839. =

P. M. Marianus Spada, cujus opusculum eo majori in precio habendum, quo nunc magis cordi esse debet germanis omnibus Divi Thomae discipulis Sanctum Praeceptorem definitae dogmaticae veritati, quoad quidem fieri poterit, accomodare. Fateor equidem novam Apostolicae Sedis definitionem nihil plane immutasse de intrinseco ac genuino sensu, quem sibi Angelicus Doctor proposuit, uti sane perspicuum est: sed extrinsecam tamen suppeditavit causam et fundamentum, in casu etiam dubiae, ancipitis, ambiguaeque sententiae eum exponendi eo sensu, qui sit revelatae doctrinae, ac definito dogmati consentaneus. Haec videlicet interpretrandorum Patrum regula et canon est (1): hoc debita tantis viris reverentia, ac filialis amor exigit, atque aequitas reposcit, ut Ecclesiae Catholicae lumina, strenuique duces, ac Doctores componantur, ubicumque fieri possit, cum Ecclesiae ejusdem doctrina; et si quaedam adsit ambiguitas, in hoc sensu, non alio explicentur. Praesumi enim debet, nisi aliud perspicue constet atque evidenter, doctrinam catholicam, cujus erant studiossimi, et quae licet nondum definita, tamen jam vera erat et revelata, non ignorasse eos quidem, nec quoquo modo oppugnasse. Qua quidem piissima ac sapientissima regula, quae caeteris sanctis Patribus, sive Doctoribus interpretandis adhiberi consuevit, si paucos excipias intemperatioris critices Theologos, eccur non eadem utemur in Angelici nostri textibus exponendis? qui cum in hac

(1) Hinc Facundus Hermianensis lib. de *tribus Capitulis* inquiebat: = Melius facimus si virorum doctissimorum in pace Ecclesiae mortem obeuntium scripta in melius interpretemur. =

veteres interpretandi benignitate enituerit maxime, atque exemplo praeiverit, id certe promeritus est, ne ab hac lege vel privilegio ipsum quandoque posteri exciperent (1). Quum igitur jam Catholicorum nemo ambigat illam de immaculato Virginis Conceptu veritatem ad fidei depositum semper pertinuisse (non enim nova revelatione manifestatam esse admittimus), ac proinde contrariam sententiam fuisse *materialiter*, ut ajunt, haereticam, seu veritati in se quidem revelatae repugnantem, jure meritoque diximus nobis esse adnitendum, S. Doctoris nostri ita verba emollire, atque explanare, ut apte, si fieri possit, cum definito dogmate componantur. Atqui id fieri posse, argumentis tum extrinsecis, tum vero intrinsecis abunde comprobamus.

74. Extrinsecis quidem. Nam praeter recentiores, qui numero plures, ac doctrina conspicui, in eum finem sive obiter, sive ex professo adlaborarunt, et quos omnes caecutisse omnino, vel apertis, ut ajunt, oculis somniasse vix quispiam crediderit, plures etiam e veteribus citantur in

(1) Praestat audire ea, quibus P. Spada absolvit tertium sui libri paragraphum (num. 91.): = Finalmente chiunque è versato nelle Opere di S. Tommaso ben conosce qual modestia abbia egli usato verso tutti gli autori, non esclusi i gentili, le sentenze dei quali essendo oscure, o dubbie, sempre interpretava a favor della verità, e delle decisioni della Chiesa, e dei Sommi Pontefici. Supposto adunque, che anche la dottrina dell'Angelico sia dubbia sulla questione di cui si tratta, è secondo il suo spirito doverla interpretare in conformità al sentimento comune dei Fedeli, che formano la Chiesa. = Quanto magis id arguendum, postquam consensui unanimi fidelium formalis expressaque adjecta est Sedis Apostolicae definitio ?

libris Divi Thomae volutandis diligentissimi, atque in ejus sane doctrina haud parum versati, qui tamen ne dubitarunt quidem Angelicum piae sententiae adstipulatorem exhibere. Quis neget Natalem Alexandrum virum eruditissimum Sancti Thomae volumina diuturno labore versasse? et tamen haec affirmare non dubitabat (1): = « No- » strum, communemque Doctorem in Summa sua piam de » Immaculata Deiparae Conceptione sententiam non im- » pugnasse, sed aliam omnino subvertisse hypothesim, pro- » babilius sentiam cum Joanne a S. Thoma primi subsellii » thomista ». = Quis rursus contendat Divi Thomae mentem neutiquam assequutum Ven. Seraphinum Capponi a Porrecta, qui Theologicae Summae veluti commentarium ac appendices, quas vocat, nonnisi diligentissimo studio concinnavit? Et tamen aperte docet Angelicum non de macula originis, quae vere et actu sanctissimam Virginis animam infecerit, esse intelligendum, sed de simplici debito reatum illum incurrendi, nisi speciali atque insigni privilegio fuisset praeservata. Quomodo ergo viri sapientes et Thomisticae doctrinae medullitus addicti ea proferre, immo et cogitare ausi forent, si Praeceptori sanctissimi doctrinam nulla intelligerent posse benigna interpretatione emolliri? Esto, quod res fuerit, si lubet, salebrosa, difficilis, obscura, implexa: tamen suposita quoque verborum ambiguitate, immo etsi prima fronte clarior alius sensus videri possit, dummodo desit in contrarium omnimoda rei certitudo, nec omne probabile quidem praecludatur effugium, non erit umquam benignior interpretatio dimittenda. Hanc

(1) Hist. Eccles. Saec. II. dissert. I. Schol. 4.

methodum, uti diximus, ipsemet Angelicus Doctor ad caeteros auctores exponendos adhibuit; ea passim utuntur Theologi in explicandis durioribus quibusdam loquendi formulis, quas vel ante exortas haereses, vel certe ante expressam ac perspicuam Ecclesiae definitionem nonnulli quandoque veteres Patres utut doctissimi ac sanctissimi protulerunt. Eam proinde nec a nobis fas est repudiari, dum agitur de magistri pientissimi effatis, doctrinisque meliori quo poterit, ac veriori sensu interpretandis.

75. Ut porro jam argumenta, quae dicuntur intrinseca proponamus, quum ex contextu, ac scopo caeterisque adminiculis hujusmodi, verum auctoris sensum eruendum esse hermenuticis legibus sancitum sit, impossibile plane foret hanc disputationem pro rei gravitate paucis definire, eamque angustioribus, quam deceat, limitibus concludere. Quia tamen praeoccupata invenio quae potissima dici possent, nec lubet rudiori forsan, atque inutili repetitione ea rursus adducere, quae ab aliis sapientius inventa fuerint, disertiusque prolata, idcirco quae illi fusiori calamo prosequuti sunt, paucis perstringam, vel potius, uti soleo, ad generalia quaedam capita, seu principia satagam revocare.

76. Ac primo quidem, omissis testimoniis, quae ex spuriis Divi Thomae operibus nonnulli adduxerunt, plusquam certum est aliqua ex genuinis afferri, quae luce clarius praeservationem Virginis a qualibet noxa adstruunt, atque ab ea vel minimum originalis labis naevum ac maculam penitus arcendum. Quid enim uberius ac validius a quocumque vel ardentissimo hujusce privilegii vindice proferri potuisset iis verbis, quae leguntur in I. lib. sentent. Dist.

44. §. 3. art. 3? = « Puritas, inquit inibi S. Doctor, » intenditur per recessum a contrario, et ideo potest ali- » quid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in » rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, » et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae peccato ori- » ginali, et actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in » quantum erat in ea potentia ad peccandum ». = Heic vero frustra tempore abutar, ut ostendam in obvia et naturali verborum significatione, excludi iis prorsus a Virgine Deipara cujusque peccati, etiam originalis, inquinamentum; quod adeo verum est, ut jam ea a veteribus Immaculatae Conceptionis propugnatoribus in adversam profligandam sententiam adhiberi solita, Natalis Alexandri testimonio didicimus. Ad cujus vim declinandam Mariani privilegii hostes non alio confugiendum se esse ducebant, nisi ex aliis Divi Thomae operibus contrarias, ut ipsis videbatur, auctoritates allegare; quod tamen argumento est evidentissimo, ne putasse eos quidem textum illum posse qualibet arte, machinisve in alienum sensum componi. Atque incassum proinde Auctor *Concordantiarum super dicta et conclusiones Angelici* (1) pluribus allatis argumentis nititur locum illum e nativo sensu in alienam piaeque sententiae adversam abducere significationem. Praeterquamquod enim exigui sunt ponderis illa quae profert, ac momenti (2), ex ipso verborum ac rerum apparatu, quem ille adhibet, colligere fas est non hanc, quam

(1) Ad Dub. 370.

(2) Vide ad singula responsiones P. M. Spada in op. cit. a num. 27 ad 43.

contendit Angelici mentem fuisse. Non enim iis tricis ac machinis adlaborandum in aliquo textu explicando, nisi quum conamur eum quoquo tandem modo, invitaque, ut ajunt, Minerva in partem nostram traducere.

77. Quum igitur in ipsis magni Aquinatis voluminibus quaedam reperire liceat, quae favere; quaedam vero, quae tanto tamque miro Deiparae privilegio adversari videantur; qua tandem methodo uti nos decet ad hanc apparentem ἀντιλογίαν conciliandam? Non diffiteor obscura clariοribus esse illustranda, ac illa caeteris paribus praevalere, quae tempore postrema, et non obiter, sed ex professo pertractata prodierunt. At in casu, de quo agitur, omnibus undequaque perpensis, non equidem dubito, basim, ut ita dicam, et fundamentum interpretationis, ad cujus amussim caetera exigi debeant, non ex Theologicae Summae vigesimaseptima quaestione, sed ex citato opere in I Sententiarum, aliisque similibus esse repetendum: quod pluribus gravibusque de causis faciendum confirmo. Videlicet primo ex ipsa, quam hucusque expendimus, ratione. Quando scilicet in scriptore nedum catholico, verum et catholicae doctrinae magistro ac decore praeclarissimo, ea leguntur, quae hinc consona, inde vero dissona Ecclesiae consuetudini ac doctrinae videri possint, in hanc omnino partem exponi debent: non autem in illam, quae tutissimo adversetur firmamento veritatis. Deinde quia censeri debet quilibet auctor, qui theologicas res apprime noverit, easque via et ratione prosequutus sit, eas conclusiones admisisse, quae in principiis a se positis latent, ac legitima consecutione deducuntur. Ac posita idcirco quadam obscuritate sive ambiguitate, hanc expediri convenit, atque enodari eo

sensu, quo posito sibimetipsi, suisque principiis melius arctiusque cohaereat. Atqui ab Angelico ea firmissima principia jacta demonstravimus, et quasi solidissima Theologiae fundamenta, in quibus veluti in radice, ac surculo includi palam est veritatis hujus ac dogmatis germina. Non ergo pium solummodo, verum et sanae criticae regulis apprime consonum est hunc ita interpretari, ut extrema mediis, ac principiis apte respondeant conclusiones. Verum, quod totam rei summam complectitur, si perspicuis obscuriora exponenda esse omnes consentiunt, jam illud contendere ausim atque affirmare, clariora esse, quae pro pia sententia ex Divi Thomae operibus adducuntur, quam pro contraria. Eos vero qui refragentur, ac id somnii loco habeant, atque irrideant, provocare possumus, ut aliam apertiorem atque expressiorem inveniant hujus Mysterii adstruendi formulam, quam illa sit superius allata = *Talis fuit puritas Beatae Virginis, quae peccato originali et actuali immunis fuit.* = E contra titulus ipse articuli secundi vigesimae septimae quaestionis, (qui praecipue visus est piae sententiae refragari) nec ipsum controversiae statum ea praecisione definit, ac proponit, ut negativa ejusdem solutio inferat illico, sive includat Mariani privilegii negationem. Quaerit enim Sanctus Doctor, = Utrum beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem =; quae profecto quaestio nonnisi imperite cum nostra, de qua agimus, confundi posset vel permisceri: adeo ut quispiam posset etiamnunc inficiari Deiparam sanctificatam ante animationem fuisse, et tamen a catholico dogmate de Virginis ab originali labe plenissima praeservatione atque immunitate ne minimum quidem aberrare. Non utique consu-

lerem, ut illud sine apta rerum ac verborum explanatione quispiam modo proferret, cum non errorem tantum, sed et omnem erroris speciem ac suspicionem praecavere debeamus. Sed illud in primis advertere juverit, duplicem a scholasticis distingui consuevisse prioritatem, alteram *temporis,* alteram *naturae.* Et rursus illud *sanctificationis* vocabulum duos veluti conceptus inferre, negativum alterum, quod in negatione culpae consistit, alterum positivum, quod complectitur praeterea gratiae habitualis infusionem. Et quidem si *de prioritate temporis* sermo sit, ac ipsam spectemus sanctificationem in completo ac indivisibili effectu suo, prout nempe praeter labis cujusque mortalis vel originalis exclusionem, elevat insuper animam ad supernaturalem quamdam conditionem, ac donis supernis, caelestique exornat pulchritudine, non utique praecedere tempore fas est animationem, quum gratia haec sanctificans, non substantia, sed modus quidam et qualitas sit, quam proinde repugnat existere ante subjecti, cui inhaereat, productionem (1). Si vero etiam *de prioritate naturae* disseramus, quamquam in ordine ideali et aeterno

(1) Si concipi posset anima Virginis, ut praeexistens ejusdem in virgineum corpus infusioni (quae animatio dicitur), tunc sane nulla adesset repugnantia, quod *sanctificatio,* in sensu etiam positivo accepta, tempore praecederet *animationem.* Verum quum communissima ac certissima omnium Theologorum doctrina maxime hoc approbet effatum, quod *Deus animas hominum et infundendo creat, et creando infundit,* nec ullum adsit fundamentum Virginis Beatissimae animationem ab hac generali regula excipiendi, idcirco confidimus, id, quod a nobis proponitur, argumentum, rem propositam pene adstruere ac demonstrare.

non ab omnibus una eademque ratione divinorum decretorum series componatur (1), dum tamen concipimus actualem eorum exequutionem, prius etiam intelligimus subjectum, seu animam existere, deinde illius sanctificationem, licet respectu ad Virginem Sanctissimam omnia simul evenerint; et nec unico quidem temporis puncto illa anima vel sanctificante gratia caruerit, vel etiam minimis fuerit humanae corruptionis sordibus inquinata. Loquitur ergo Doctor Angelicus eo loco de sanctificatione, prout *fit per gratiae infusionem.* Cum autem hujus *subjectum sit sola creatura rationalis,* exinde infert non potuisse sanctificari id, quod nondum existebat, videlicet quando non-

(1) Piget in opere non stricte theologico hisce subtilitatibus immorari. Sed in hunc veluti scopulum ipsa tandem me compulit rerum, quae disceptantur, ratio et natura. Paucis tamen me expediam. Igitur neminem latet, qui Theologicas Disciplinas vel a limine salutaverit, decreta quidem Dei aeterna esse, nec successionem pati, sed ratione tamen objecti quaedam eorum prius concipi, et quaedam posterius. Loquendo igitur de immaculato Virginis Conceptu, theologi nonnulli in hunc modum divinorum decretorum seriem coordinant, ut prius decreverit Deus Mariam ut Adae filiam producendam; deinde eam in Matrem elegerit Filio in humana carne nascituro; ac tunc indecorum plane reputans a Peccatrice nasci ac gigni totius fontem Sanctitatis, eam statuerit immunem ab originali noxa praeservare. Alii e contra ne distinguentes quidem inter decretum eam creandi, eamdemque in Matrem suam eligendi, illico et immediate productam autumant in ordine ad Dei maternitatem; quo sensu negant eam nedum actum, sed nec debitum contrahendi peccati originalis incurrisse. Quum porro nihil de hac peculiari quaestione ab Ecclesia definitum sit, unusquisque in suo sensu abundet. Prima certe aptior est, ut videbimus, Divo Thomae aliquatenus in sensu piae sententiae explicando.

dum fuerat creata anima illa purissima, non potuisse sanctificationem adipisci. Concludit ergo sanctificatam fuisse *post animationem:* quae quidem conclusio, si de *posterioritate* naturae intelligenda sit, tunc vere ex praecedentibus deducitur, nec cum piae sententiae alias ab Angelico traditae doctrina repugnat. At si de temporis *posterioritate* accipienda foret atque explicanda, eo paralogismo peccaret, quod nec Cajetanus quidem potuit diffiteri, licet excusatione quadam, meo quidem judicio levissima, alio avertere studuerit. Non enim Angelica Aquinatis mente opus est, sed rudiori cuilibet homini pervium et evidens, in ipsam, ut ajunt, *formam* peccare hoc argumenti genus: Sanctificata non fuit ante animationem: ergo fuit post animationem sanctificata. Quis enim statim non videat inter extrema haec medium quoddam intercedere, quod scilicet nec ante, nec postea, sed in ipso animationis actu Deipara cujuslibet labis ignara sanctificata fuerit, seu gratiae donis amplissimis cumulata? Ne ergo in obvias logices regulas virum doctissimum peccare arroganter dicamus, ejus verba ita interpretari possumus ac debemus, ut licet prius mente concipiatur animam produci, quam sanctificari, hoc tamen prius et posterius non ad ipsum executionis actum sit referendum, sed eodem temporis puncto, quo existentiam nacta est, ac ad virgineum corpus informandum pervolavit, jam fuerit syderibus splendidior, Angelis purior, ac ab omni peccati labe vel umbra mundissima.

78. Caeterum jam illud superius sincere fassus sum adesse in Angelico nonnulla, quibus perspicue nimis, rotundisque verbis docere videtur Deiparam ipsam, *utpote*

quae salvari indiguit, originale peccatum contraxisse. Verumtamen non animo deficimus, et cum P. Laurentio Berti clari nominis theologo (1) dicere non dubitamus: « Vete- » res de Conceptione seminis et carnis propagatione fuisse » locutos, ob quam Virgo Christi redemptione opus ha- » buit, non quia anima peccati vinculo solveretur, sed » quia per corpus nullam traheret foeditatem ». Jam enim vulgatissima est ea Conceptionis divisio in activam, et passivam, quam his verbis docet Benedictus XIV (2): = « Conceptio dupliciter accipi post; vel enim est activa, » in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invi- » cem convenientes praestiterunt ea, quae maxime spe- » ctabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, » et dispositionem ad recipiendam animam rationalem » a Deo infundendam; vel est passiva, cum rationalis ani- » ma cum corpore copulatur ». = De hujus porro distinctionis intrinseca veracitate, seu fundamentis quibus innititur, heic sane disputare non vacat: sed illud exquirendum an ab Angelico Doctore agnita atque admissa fuerit; deinde quaenam ejus applicatio fieri possit ad Divi Thomae ipsius mentem explicandam.

(1) Extraneum Theologum citare volui, qui nec Scotisticae, nec Thomisticae scholae fuerit addictus, ut omnes intelligant hanc veterem scholasticorum, ac Divi Thomae in primis interpretationem etiam viris aliarum scholarum, et ordinum doctissimis, et omnino *impartialibus* arrisisse. Haec vero habet Berti in notissimo opere de Theol. Discipl. Lib. XIII. Cap. VI. ubi disserit de Originalis peccati propagatione.

(2) De Festis B. Mariae Virginis. N. CLXXXV.

79. Illam porro distinctionem, quocumque tandem nomine appellari placeat, nemo umquam repudiavit, vel repudiare potuit, nisi qui vel ex traduce, ut ajunt, propaginari filiorum animas a parentibus docuerint, vel ita a Deo eas creari, ut in ipso primo foetus humani germine, quod embryonem vocant, illico infundantur. Utramque autem opinionem ex professo refutavit Angelicus, et intervallum quoddam inter corporis formationem, atque in ipsum animae rationalis infusionem, et agnovit, et propugnavit. Dixi *animae rationalis*. Nam veteres Peripatetici, eosque sequutus Divus Thomas, tres animae et vitae species assignabant, vegetativam scilicet, sensitivam, atque intellectivam (1). Et cum diversos eos vitae gradus in foetu humano sensim ac sensim ex imperfectioribus ad perfectiores adduci crederent, prius quidem vegetativam animam advenire, dein sensitivam, ac tandem rationalem arbitrabantur: non ita tamen ut tres demum animae in uno eodemque homine latitarent, sed perfectior adveniens caeteras excluderet, ac veluti, si ita loqui fas est, in se una omnes absorberet. Et huic quidem Sanctum Thomam adhaesisse sententiae non solum tradit P. Gaudinius in philosophia peripatetica, auctor subtilis atque eruditissimus, eo quod nempe illam videret Angelicus *aevo suo communiter receptam* (2); sed reapse invenitur apertissime in Summa Theologica his verbis expressa: « Dicendum » est quod cum generatio unius sit semper corruptio alte-

(1) 1. P. q. 78. Art. 1. Corp.

(2) Philosoph. Thomist. Physicae IV. part. Disputat. unica, quaest. 1. *de anima* art. III.

» rius, necessè est dicere, quod tam in homine, quam
» in animalibus aliis, quando perfectior forma advenit,
» fit corruptio prioris; ita tamen, quod sequens forma
» habet quidquid habet prima, et adhuc amplius . . . . .
» sic igitur dicendum est, quod anima intellectiva creatur
» a Deo in fine generationis humanae (1), quae simul est

(1) Nota haec verba *in fine generationis*. Pergit igitur adhuc generatio: atqui generatio active ex parte parentum jamdiu desiit: igitur de generatione, seu conceptione passiva verba ista intelligenda sunt; nec proinde ambigendum hanc distinctionem, quam exposuimus, nec Angelicum ignorasse, nec negasse. — Caeterum illud, quod supra diximus, de successiva foetus ascensione ad vitam perfectiorem, quodque philosophice atque acutissime pro more suo S. Thomas prosequutus est, illud poetice, et quidem elegantissime cecinit Divinae, quam vocant, Comoediae auctor (Dante del Purgat. Canto XXV.).

Anima fatta la virtude attiva,
Qual d'una pianta, in tanto differente
Che quest' è in via, e quella è già a riva,
Tanto ovra poi, che già si muove e sente,
Come fungo marino; ed indi imprende
Ad organar le posse ond' è semente.
Or si spiega, Figliuolo, or si distende
La virtù ch' è dal cuor del generante,
Dove natura a tutte membra intende:
Ma, come d'animal divegna fante,
Non vedi tu ancor: quest' è tal punto
Che più savio di te già fece errante:
Sì che, per sua dottrina, fè disgiunto
Dall'anima il possibile intelletto,
Perchè da lui non vide organo assunto.
Apri alla verità, che viene, il petto,
E sappi che, sì tosto come al feto
L'articolar del cerebro è perfetto,

» et sensitiva, et nutritiva, corruptis formis praeexistenti-
» bus ». Cum igitur systema hoc, sive opinio, manifeste innitatur distinctione illa conceptionis activae et passivae, hanc ab Angelico agnitam, atque receptam negare non possumus.

80. Quam porro exinde sumere liceat applicationem, ut Doctoris nostri dicta atque doctrinam dogmati nuper per Apostolicam Petri Cathedram definito accomodemus, abunde patet. Nam illa, quae de originalis peccati labe quoad Virginem quidem sanctissimam edisserit, jam de propagatione carnis (1), ac debito noxae originalis incur-

Lo Motor primo a lui si volge lieto,
Sovra tant'arte di natura, e spira
Spirito nuovo di virtù repleto,
Che ciò che truova attivo quivi tira
In sua sustanzia, e fassi un'alma sola,
Che vive e sente, e sè in sè rigira.

Miror interea eos omnes, quos vidi, quaestionis illius tractatores, quae est de vera Angelici mente circa Virginis Conceptum investiganda, vix ac ne vix quidem hujus peripatetici systematis meminisse, quod tamen, meo quidem judicio, aliquid luminis huic disputationi fortasse potuit adferre. Nimirum concupiscentiae radix non in anima rationali, prout rationalis est, insidet profecto; sed in parte ejus sensitiva. Sic fortasse et melius intelligetur, juxta mentem quidem et systema Doctoris Angelici, quo sensu peccatum originale Virginem *contraxisse* dixerit, et tamen animam ejus nunquam admiserit quacumque vel minima peccati labe inquinatam.

(1) Fortasse non repudiavit Angelicus infectionem *animae sensitivae*, de qua in praecedenti adnotatione dictum est: quae tamen, cum peccati proprie dicti capax non sit, nihil omnino puritatis adimere potuisset animae rationali, quam Deus ab omni labe immunem in actu ipso infusionis voluit praeservare. Ne tamen cuipiam peri-

rendae (nisi divino privilegio praeservata fuisset), non vero de actuali peccati originalis animam illam vel minimo temporis puncto inquinantis incursione, haud difficili negotio interpretabimur. Quod si tamen alicubi haerere contingat, ac tenebrae nos adhuc deterrere videantur, illud recogitandum est easdem, plus minus, in quibusdam antiquiorum Patrum operibus, circa alia nunc definita dogmata, huc illuc reperiri. Nec certe minus laboris ac difficultatis plenum opus dixeris quaedam (si exemplis uti liceat) S. Joannis Chrysostomi testimonia cum gratiae Christi necessitate, vel visione beatifica Electis concessa componere: vel S. Cyrilli *Anathematismos* ab Apollinaris erroribus defendere: vel ejusdem generis alia, quae nec Theologiae quidem tirones ignorant, et ab auctoribus omnibus, qui rem theologicam prosequuti sunt, ubertim pertractantur. Si tamen, obscuritate ac difficultate quali-

culosum videri possit, aliquid culpae, quocumque tandem sensu acceptae, in anima Virginis, cujuscumque speciei ac gradus supponatur, adhuc admittere vel suspicari; idcirco ex intima mentis sententia hanc statim subjicio protestationem, me hujus rei meminisse tantum, si forte faciliorem modum nodi solvendi suppeditare queat relate ad veram Angelici Doctoris sententiam: non autem dixi, nec unquam dicam, hanc opinionem modo sustineri posse; immo debita cum reverentia omnino repudiare non dubitarem, non solum, ea ratione, quam innui; sed etiam quia innititur peripateticae opinioni de trium veluti animarum successione; quae opinio ita jamdiu obsolevit, ut Gaudinius ipse loco superius citato, Thomista licet medullitus existeret, eam refutare jam suo tempore non dubitaverit. Non est ergo timendum, ne quisquam hac antiquata opinione abutatur ad labem quamcumque in anima Virginis quoquo modo adhuc inducendam.

bet nequicquam obstante, tum aliis locis, ubi clarius locuti sunt, adductis atque collatis, tum benigniori verborum interpretatione, non sine successu eosdem adnituntur passim Theologi Catholicae Ecclesiae dogmatibus conciliare, eccur, uti jam dicebamus, non idem Angelici doctoris nostri libris atque doctrinis in hoc quidem Immaculatae Conceptionis argumento pertentabimus? Confido igitur vehementissime diligentiores ac praestantiores doctissimi Aquinatis discipulos laudabili veluti contentione certaturos, uti sin minus adjecta ea commata, atque assuta demonstrare valeant atque expungere, Natalis tamen Alexandri aliorumque quos citavi, vel citare facile potuissem, tum e veteribus, tum e recentioribus, scriptorum vestigiis insistentes, obscura studeant clarioribus explanare, et Sanctum Praeceptorem a contraria definito dogmati sententia iis rationibus, quae non suadeant tantum, sed et persuadeant, absolvere. Sic enim Scholae nostrae gloriae, decori, dignitati pro viribus prospiciemus: ipsique Doctori Sanctissimo quo magistro merito gloriamur, illud officium exhibebimus, eo suspiciendum magis atque gratissimum, quo vel veritatem assequamur, si revera in sensu piae sententiae loquutus sit; vel filialis saltem amoris rependemus argumentum, dum illius verba conabimur in meliorem sensum interpretari, qui et veritati congruat, et Sedis Apostolicae decretis atque doctrinae, cujus auctoritatem summa ipse reverentia prosequutus est, nosque edocuit perpetuo prosequendam.

81. Ast in pejori tandem hypothesi, quod nec arte, nec machinis, posset Sanctus Doctor in piam veramque sententiam exponi, nisi aperta vis obvio verborum sensui

atque contextui contra omnes sanae criticae regulas, omnemque rei probabilitatem, immo et evidentiam inferretur, quid tandem concludendum? Numquid recenti Apostolicae Sedis decreto, vel Sancti Doctoris gloriae, vel Scholae quae eo duce militat decori, quidpiam illatum fuisse labis ac detrimenti? Hoc plane expendendum jam, ac refellendum adgredimur.

§. VI.

82. Et re quidem vera: si in quaestione nondum Sedis Apostolicae auctoritate dirempta, quum ne Conceptionis quidem festum in Romana Ecclesia celebraretur (1), nec ita aperte atque universaliter Christifidelium consensus et devotio in hoc Mysterium sive profitendum, sive colendum eruperat; si inquam, hisce rerum ac temporum adjunctis, S. Thomas, sanctissimus licet ac sapientissimus, erraverit tamen innocenti deceptione intellectus, non prava utique malitia voluntatis, quid exinde colligi posset, ac deberet? Non aliud profecto, nisi eum errasse, quem fallibilem, atque idcirco decipi potuisse profitemur. Quid autem mirum, si ille qui falli potest, aliquando fallatur (2)?

(1) Cum sibi objecisset Angelicus 3. P. q. 27. Art. 2. a quibusdam celebrari consuevisse festum Conceptionis B. V. respondet ad 2. = Quod licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. = Si ergo vidisset eam a Romana, atque universali Ecclesia celebrari, idem certe argumentum confecisset, quo usus est ad nativitatis ejusdem sanctitatem comprobandam. Sed de his satis dictum est superius; nec eadem sunt inutiliter repetenda.

(2) Veterum fuit scholasticorum effatum vel potius axioma evidentissimum quod = *possibili posito in actu nihil sequitur absurdi.* =

Mirandum potius Viros quandoque sapientiae ac pietatis laude conspicuos ita parum sibi, suisque dictis constare, ut aliud verbis, aliud factis profiteantur. Et si eos quidem generali quaestionis proposita formula percuncteris, an praeter Scripturas Canonicas alii in Ecclesia adsint Doctores, qui infallibilitatis privilegium fuerint assecuti, ita ut nullibi deciperentur atque errarent, negativam illico tuerentur sententiam, neque haererent, sive ambigerent in ea etiam, ubi opus foret, acriter propugnanda. Ast ubi generalem quaestionem coarctes ad auctorem quemdam, cujus placitis vel lege, vel consuetudine, vel traditione quadam domestica detinentur, jam nisi verbis, facto tamen adstruunt id *in particulari,* quod de *universali* denegaverant, et in concreto affirmant, quod in abstracto plane rejiciendum nuper fatebantur.

83. At non in hunc modum profecto sentiebat, atque docebat Angelicus ipse praeceptor, qui loco I. P. q. I. Art. 3 ad 2. superius adducto, infallibilitatem quidem divinorum librorum se venerari; caeteros autem scriptores singillatim acceptos quantalibet sanctitate atque doctrina praecellentes falli posse profitebatur. « *Hanc siquidem felicitatem,* » verba profero Melchioris Cani, viri non emunctae naris tantum, sed qui ex professo Locos Theologicos persequens argumentum de Sanctorum auctoritate accurate, copioseque pertractavit (1), « *hanc siquidem felicitatem Deus in solis divinis voluminibus inesse voluit, quemadmodum Augustinus gravissime, ac verissime tradidit* » scilicet in eorum libris non esse quicquam erroris. « *Caeteroqui nemo quantumvis*

(1) De locis Theol. Lib. VII. Cap. III.

eruditus et sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi caecutit, non quandoque labitur ». Ne autem et egomet incusari possim vel ejusdem vitii, quod supra veritus non sum in aliis quibusdam, si qui tamen adsint, arguere, qui nempe principio admisso, specialem repellunt ejusdem applicationem; vel, quod gravius mihi contingeret atque molestius, de injuria Doctori nostro praestantissimo illata, quem praecipua obsequentis animi devotione venerari et professus sum, et profitebor in aevum, me lubenter committo auctoritati duorum ex Ordine quidem nostro Doctorum clari nominis, et quos nemo cordatus unquam ausus fuerit veluti Doctoris Angelici, ejusque doctrinae hostes traducere, atque criminari. Loquor de Melchiore Cano, nec non de Natali Alexandro, quorum hic alterius et verba recitat, et sententiam probat. Illa nempe dissertatione, quam inscripsit = *De liberatione commentitia Trajani Imperatoris ab inferis* (1), = hanc quidem ceu putidam fabellam impugnans, cum sibimet auctoritatem divi Thomae objecisset, qui in Supplemento quaest. 73. art. 5 ad 5 eam approbat ut veram, Trajanumque censet ab inferis Sancti Gregorii precibus liberatum, postquam nisus est eum a falsa hujusmodi opinione absolvere, dicens non absolute, sed hipothetice loquutum non quidem asserta, sed supposita illius historiae, quae suo tempore jactabatur, veritate, sic demum respondere non dubitat: « Respondeo secundo, » quod etiamsi Trajanum Sancti Gregorii precibus ab » inferis liberatum fuisse assereret divus Thomas, ab ipso » in hac parte discedere, nulla nobis deberet esse religio.

(1) In hist. Eccl. Saec. II. diss. I.

» Quod ne audacius dixisse videar, praestat audire prae-
» stantissimum et eruditissimum Ordinis nostri Theologum
» Melchiorem Cano . . . . . qui suum, et Francisci Victo-
» ria . . . . . de sectanda sancti Thomae doctrina judicium
» scriptis mandavit lib. 12 de Locis Theol. Cap. I. Quam-
» quam illos, inquit, probare non soleo, qui veluti sacra-
» mento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut
» Fabii verbis utar, nefas ducunt a suscepta semel per-
» suasione discedere. Theologo nihil est necesse in cu-
» jusquam jurare leges. Majus enim est opus atque prae-
» stantius, ad quod ipse tendit, quam ut magistri debeat
» vestigiis semper insistere, si quidem est futurus Theo-
» logiae laude perfectus. Memini de praeceptore meo
» ipso audire, cum nobis secundam secundae partem coe-
» pisset exponere, tanti Divi Thomae sententiam esse
» faciendam, ut si potior alia ratio non succurreret,
» sanctissimi et doctissimi viri satis nobis esset auctori-
» tas. Sed admonebat rursus, non oportere Sancti Do-
» ctoris verba sine delectu et examine accipere; imo ve-
» ro si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imi-
» taturos nos ejusdem in simili re modestiam et indu-
» striam, qui nec auctoribus antiquitatis suffragio com-
» probatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum, ra-
» tione in contrariam vocante, transit. Quod ego prae-
» ceptum diligentissime tenui. Non enim ullam, non Di-
» vi Thomae dico, sed ne Magistri mei opinationem
» quidem revocavi ad arbitrium meum; nec cordi tamen
» fuit jurare in verba magistri. Nam et vir erat ille na-
» tura ipsa moderatus; at cum Divo Thoma aliquan-
» do dissensit, majorem, meo judicio, laudem dissen-

» tiendo, quam consentiendo assequebatur; tanta erat in » dissentiendo reverentia ». Hactenus ille.

84. Sed, inquiunt, divi Thomae doctrinam novimus Christi ipsius oraculo (1), ac plurium Pontificum decretis (2) approbatam. Quomodo ergo vel unica ejus conclusio improbari poterit, quin Apostolicae Sedis, atque Christo ipsi irrogetur injuria? — Hanc difficultatem si quis pressius, quam par est, urgere velit, inscitiae seipsum argueret, dum sensum earum approbationum (de quarum veritate ne ullam quidem dubitationem moveri patimur) usque adeo extendat et provehat, ut Doctoris praestantissimi volumina in sacrae Scripturae ac divinitus inspiratae dignitatem auctoritatemque, quoad in se fuerit, studeat commutare. Angelici equidem Praeceptoris doctrina, si generatim spectetur, et in suo, ut ajunt, *complexu,* integerrimam, profundam, subtilem, omnigenam, catholicam, catholicisque dogmatibus exponendis atque vindicandis aptissimam neminem puto lubentius edicere, quam ego faciam, qui me discipulum ejus profiteor meritis, sed non affectu atque admiratione postremum. Attamen si quis illa, quae praeferuntur, praeconia ita stricte ac presse voluerit interpretari, ut omnes apices et commata in miris ejus Operibus contenta omnino complectantur, ac iis singulis certissimae veritatis

(1) Dum scilicet a Christi in Cruce pendentis imagine benignissimum hoc responsum accepit: « Bene scripsisti de me, Thoma. » Hoc factum referunt antiquissimi scriptores, ac inter alios Bernardus Guidonis Episcopus Ludovensis Divi Thomae prope contemporaneus. Vide Touron in opere cit. Lib. V. Cap. XIV.

(2) Praecipua superius allata sunt.

robur adjiciant, nec fas amplius fuerit ne lato quidem ungue, reverenter quidem, ejusdem placita dimittere, etiam quando Ecclesia (praescindo nunc a dogmatica definitione) in aliam sententiam magis propendere videatur, is certe, me quidem judice, vehementer falleretur. Nec hisce assentationibus indiget solida Doctoris Angelici laus et decus, nec ipsemet eam exaggerationem haberet acceptam, si vel remote applicari posset in praejudicium illius auctoritatis, a qua ipsi Doctores Catholici, ut Divum Thomam docentem jam audivimus, omnem nanciscuntur auctoritatem. Quod si ita res sese haberet, jam Ecclesia quandoque contradictorias (quod absit vel dicere vel cogitare) doctrinas et sententias approbare haud vereretur, quum certe veteres Sanctos Patres et Doctores amplissimis laudibus plus minusve decoraverit omnes, summaque eos veneratione prosequuta sit; licet illos nonnumquam videamus in quaestionibus quibusdam vel levioris momenti, vel nondum tunc pene discussis ac definitis, diversa atque pugnantia sentire.

85. Caeterum non hanc Ecclesiae vel Summis Pontificibus insedisse mentis intentionem, ut alicujus Doctoris scripta ac doctrinam laudando, veritatem omnium singularium ejusdem opinionum voluerint *auctoritative* decernere et quasi consecrare, vel ex hoc solo luculenter evincitur, quod hoc sine longa, accurata, ac matura verborum pene omnium, ac certe periodorum, atque sententiarum discussione atque examine prudenter fieri non posset. Non enim Ecclesia caeco impetu res gravissimas prosequitur, atque hoc praesertim qui ipsam in posterum auctoritatis suae ac potestatis exercitium veluti co-

arctaret. Si enim semel definiat omnia et singula esse vera, quae in aliquo auctore continentur, jam numquam poterit sine contradictione ea denuo pro rei opportunitate dirimere et aliter definire. Hoc ergo judicium nec expediens fuisset, nec prudenter initum, nisi singulis doctrinae capitibus seorsim expensis, et ferme eo modo, qui de propositionibus ad dogma spectantibus sive probandis sive improbandis adhiberi consuevit. Id quod factum esse in casu de quo agitur, nec ratio consentit nec auctoritas. Adde, quod pleraeque Romanorum Pontificum approbationes Divi Thomae Opera in universum commendant, in quibus habentur nonnulla, pauca ea quidem, quae Sanctus Doctor senior ac doctior effectus postmodum retractavit: cujus rei exempla ita in promptu sunt, ac omnium etiam Thomistarum ore recepta, ut supervacaneum fuerit ea singillatim percensere. Dicent fortasse approbationem in hoc casu eas respicere sententias, quas in postremis ille propugnavit Operibus. At illud flagito, num vitam sanctissimam produxerit praecise ad illud tempus, quo omnia ad perfectionem adduxisset, adeo ut si in Ecclesiae bonum, non immatura morte praeventus, alia edidisset Opera, nihil vel minimum quidem fuisset denuo ab eo revocandum? Quonam fundamento id posset aliquis tuto ac indubitanter affirmare?

86. Sed video inutiliter me tempus et operam insumpsisse in ejus rei probationem, in qua consentientes habemus vel acerrimos Thomisticae Scholae vindices, e quibus seligam, speciminis causa, quemdam P. Seraphinum Piccinardum, virum equidem doctum, et olim in Patavino Athaeneo Antecessoris munere egregie perfun-

ctum, sed majori legentium numero forsan ignotum; quem tamen prae caeteris heic citare volui, eo quod cum ex professo = *de approbatione doctrinae Sancti Thomae Aquinatis* = librum concinnaverit, atque haud modico saepe animi aestu perfecerit, testis est neutiquam suspectus illius, quam propugnamus, veritatis. Hic ergo ceu invidam calumniam illud detestatur atque exagitat, quod Thomistis ad invidiam eorum Scholae conflandam impositum esse queritur (1), eos nempe aliquando propugnasse doctrinam Angelici Doctoris tamquam esset *definitive* ab Ecclesia approbata (2). Et licet subinde contendat ex

(1) Lib. I. q. II. Citat vero quaedam Lutheri dicteria scribentis: = Vos Thomistae graviter estis reprehendendi, qui Sancti hujus Viri opiniones pro articulis fidei venditatis. =

(2) Triplicem vel ab Operis initio distinguit hic auctor hujus generis approbationem, *definitivam* videlicet, *permissivam*, et *electivam:* « Aut enim doctrina, inquit, sic dignoscitur recedere ab » errore, ut positive constet Ecclesiae in ea doctrina nullum erro- » rem adesse, sive ex his, quos Ecclesiae constat errores esse, » sive ex his, quos successu temporis per subsequentes illustratio- » nes et definitiones constare potest, et sic talis doctrina absolute » dignoscitur ab Ecclesia ut immunis ab omni errore et falsitate » et definitive approbatur; aut sic recedere ab errore dignoscitur, » ut positive constet Ecclesiae nullum in ea doctrina errorem adesse » ex his, quos Ecclesiae constat errores esse, non vero sic con- » stat de his erroribus, quos errores successu temporis per sub- » sequentes illustrationes et definitiones quandoque lucidius con- » stare potest, et sic talis doctrina, ut salubrior acceptatur, et pro- » batione electiva probatur; vel demum talis doctrina ita se habet, » ut nec positive constet adesse errorem, nec positive constet » non adesse ..... vel quia propriam Ecclesia non adhibuit consul- » tationem, immo id inferiorum judicio dimisit, vel si adhibuit, pro- » babili solum judicio, non certo, contenta fuit, quod error aliquis

hac electiva approbatione satis colligi nullum ne materialem quidem errorem in ejus operibus contineri, quonam tamen sensu id affirmet patet luculenter ex toto contextu. Cum enim sibi objecisset (object. 3) quod si vere approbata foret ab Ecclesia Divi Thomae doctrina, non posset amplius quidpiam contrarium definiri, non respondet id esse impossibile, nec nunquam factu posse contingere: sed tantummodo contendit quod « Si modo, vel postea Ecclesia » definiret aliquid contradictorie oppositum assertioni ali- » cui S. Thomae, non tolleretur . . . . . eam assertionem » tempore Divi Thomae fuisse probabilem ». Quidquid autem de hac veteri dein sublata probabilitate dicendum sit (1), nos saltem ex dictis manifeste colligimus genericam

» ex adhuc cognitis in ea doctrina non adsit; et sic illa doctrina, » ut pure negative non improbabilis, vel ad summum ut positive » probabilis approbatione mere permissiva permittitur, seu approba- » tur ». Deinde vero ostendere nititur S. Thomae doctrinam non fuisse approbatam definitive, nec mere permissive, sed *elective*, quatenus non constaret de aliquo errore jam tunc habito certe pro errore, sed non tamen constaret de his *quos successu temporis errores esse per subsequentes definitiones quandoque lucidius constare potest.* Quid ad rem nostram aptius? Nonne videtur digitum intendere ad praesentem quaestionem, posito quod vere S. Thomas piae sententiae repugnaverit?

(1) Loquendo de sententia adversa Immaculatae Deiparae Conceptioni nunquam certe fuit probabilis, si de positiva probabilitate sermo sit, qua nempe habeat pro se sufficientia veritatis argumenta. Fuit enim semper falsa, et revelationi contraria; alias sententia quantumlibet pia, quae huic opponitur, nunquam dogmatibus accenseri potuisset. Attamen potuit illa habere probabilitatem quamdam negativam, eo quod scilicet nondum plene esset omnibus manifestata pia sententia, nec ad credendum legitimae auctoritatis decreto proposita.

alicujus libri, et auctoris approbationem non excludere, quod in peculiari aliqua quaestione potuerit innocenter errare : nec proinde contradictionis arguendos Summos Pontifices, dum quandam opinionem condemnant, licet ea in Doctoris alicujus libris reperiri videatur, quos Ipsi vel Decessores amplissimis elogiis usque cumulaverant. Hae siquidem laudes generice prolatae neutiquam pugnant cum speciali alicujus thesis reprobatione. Quem quidem canonem, et Pontificia Decreta, et Sanctos Patres, vel Doctores interpretandi ubi respuamus, non solum theologici, sed immo et catholici systematis evertere bases conabimur, atque fundamenta; et dum contradictionis supremis christiani populi Ducibus notam inurere non erubescimus, nos ipsi in turpissimam laberemur contradictionem. Frustra enim Summorum Pontificum praeconia in alicujus doctrinae commendationem afferemus, nisi persuasum sit nobis ea ceu oracula summaque veneratione excipienda. Quomodo autem repente ea despici possent, eo quod non loquantur placentia? Nonne id esset adhibere duplex pondus, duplicemque mensuram, quod abominabile coram Domino Spiritus Sanctus aperte depraedicat (1)?

87. Sed ut eo revertatur unde tantisper digressa est oratio mea, illud tandem ex dictis colligitur, culpandum non esse Divum Thomam, si forte, quod quidem non admittimus, innocenter deceptus fuerit in ea, quae libere tunc agitabatur, disputatione, sicuti excusatus est S. Cyprianus in quaestione de haereticorum baptismate, et nonnulli antiqui Patres Millenariorum placitis (non in nefa-

(1) Prov. XX. 10.

rio tamen Cerinthi sensu) adhaeserunt; quia licet veritates illae ad materiale, ut ita dicam, fidei depositum pertinerent, Ecclesiae tamen vox non ita exaudita fuerat, ut docti etiam sanctique viri non possent adhuc involuntario errore detineri.

88. Hoc autem nihil sane detrimenti affert eorum seu doctrinae, seu sanctitati. Non sanctitati; quum Benedictus XIV illa sibi quaestione proposita (1), = *utrum doctrina, quae cum scripta fuit, non erat censura digna, est autem cum examinatur, progressum impediat ad ulteriora in causa Canonizationis,* = negativam, quam amplectitur, sententiam argumentis atque exemplis tuetur amplissimis, concludens demum « nullam eorumdem sanctitati » notam esse inurendam, quia si docuerunt aliter ac a » Sede Apostolica definitum est, id fecerunt antequam » Ecclesiae judicium prodiisset ». Non rursus doctrinae; quia loquendo de Angelico Doctore nostro, tot radiis fulget, tot laudibus adhuc undique celebratur, ut si in quadam peculiari quaestione, quod humanum est, errasse comprobetur, non exinde minueretur dignitas ejus, et auctoritas; quemadmodum ex velo quodam interjecto imposibile est solem extingui, sive obscurari, ne toto orbe fulgidissimus splendescat.

89. Quamdam utique labem, vel dedecoris umbram haud devitaret, si vel minima suspicio foveri posset hanc, si vere tenuit contrariam mentis sententiam, a tepidioribus in Deiparam affectibus prognatam. Ast illam suspicio-

(1) De Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione. Lib. II. cap. XXIX.

nem arcet omnino nedum tanti Viri pietas, effususque in Beatam Virginem ardor devotionis, sed causa ipsa seu ratio, quae eum (in ista quidem hypothesi) ad insigne hoc Deiparae privilegium abnegandum adduxisset. Perlege, si lubet, omnia Sancti Doctoris loca, quae specietenus contraria videntur; et ubique hanc unicam vel saltem praecipuam rationem adduci conspicies, quod Virgo et ipsa Christi redemptione indigeret. Id articulo 2. quaest. 27. tradit: idque expressius articulo sequenti confirmat, ubi ait: « Pos- » set intelligi, quod totaliter fuerit (ab ea) sublatus fomes, » .... ita quod, quantum ad hoc, gratia sanctificationis » in Virgine habuit vim originalis justitiae. Et quamvis » haec positio ad dignitatem Virginis Matris pertinere vi- » deatur, derogat tamen in aliquo dignitati Christi, absque » cujus virtute, nullus a prima damnatione liberatur ». Ex quibus verbis duo facile colligimus. Primum nempe S. Doctorem plenam significasse devoti animi propensionem ad ea omnia in Deipara gratiae privilegia admittenda, quae dignitati Christi non adversarentur. Cui alterum affine est, videlicet solam et unicam causam, qua permotus fuit ipse ad Immaculatum Virginis Conceptum denegandum (si vere denegavit) illam fuisse, quam mente praeconceperat persuasionem, aliquid forte per eam demptum iri atque imminutum Christi Salvatoris dignitati. Patet idcirco non ex pravo fonte illam ebibisse sententiam, sed veritum ne minueretur in Christo meritum ac gloria universalis redemptionis. At nunc luce meridiana clarius ostensum est, atque ex ipsis divi Thomae principiis luculenter demonstratum, quemdam in eo ipso Virgini conlato privilegio, ampliorem, nobilioremque splendescere redemptionis, ac liberationis

modum, quo nedum in Deum ac Filium suum grati animi sensus ex parte Virginis Beatissimae tepescere queant, immo et plurimum excitentur; et nedum dignitati Christi quidpiam derogetur, quin potius ex ipsa Matris, quam sibi elegit, puritate effulgeat mirabilius (1). Quod si ad obvium,

(1) Cajetanus ipse id omnino diffiteri non potuit: « Dicitur enim, inquiebat, a peccato originali mundatus, non solum qui contracta actuali culpa mundatus est, sed qui a macula quidem in debito et initio in propria persona fundato mundatus est. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre, sed videat Divum Thomam 1. 2. q. 81. art. 3. sustinentem quod per mortem sufficit intelligere debitum seu reatum in propria persona mortis, quamvis nunquam actualiter aliquis moreretur etc. » Hanc autem Beatae Virginis, non quia cecidit, sed ne caderet, liberationem fatetur habere rationem *gratiae mundativae, reconciliativae, redemptivae.* Quamquam non omnibus, uti superius innuimus, ea arridet ac placet sententia, quod debitum ipsum peccandi Beata Virgo incurrerit, multoque minus, eo sublato non posse eam amplius dici ullo pacto *redemptam*, quod ibidem contendit Cajetanus. Nam ut salvent utrumque, atque concilient, non una utuntur responsione; e quibus tamen = la più difendibile, = ut dicam cum Cardinali Pallavicino, = è quella, che dà il Cardinale De Lugo nel suo libro de *Incarnatione*, cioè che dal patto con Adamo non fosse eccettuata nominatamente la Vergine, ma fosse eccettuata Quella, che Dio si volesse eleggere per madre quando gli piacesse di incarnarsi, qualunque ella si fosse; onde Maria, che non aveva niun diritto per esser Madre di Dio, soggiaceva per conseguenza alla condizione comune di esser inchiusa nel patto, e di esser poi conceputa in peccato. Ma essendo stata eletta per li meriti di Cristo in Madre di Lui, ottenne per conseguenza di esser quella, che era stata indeterminatamente esentata dal patto: e così fu ricomperata non solo dall'essere conceputa in peccato, ma dall'avere un debito prossimo di questa pena, avendo ella un debito remoto ..... e per cagione di questo debito remoto, si può dire con verità, che ella fosse ricomperata da Cristo. =

communem, ac vulgatum redemptionis conceptum, et vocem attendens (1), non advertisset Angelicus congruitatem Deiparae excipiendae, non id ingenii, eruditionis, ac pietatis defectui tribuendum foret, sed insitae humanae mentis atque naturae conditioni, quae non patitur quidpiam prodire undique perfectum, omnibusque, ut ajunt, numeris absolutum. Quod si Ecclesiae, Romanaeque Sedis vocem alio sensu loquentem audivisset, angelica certe ejus mens, quae aliis in fidei mysteriis exponendis tuendisque felicem adeo operam posuit, non minus profunde atque sapienter adlaborasset in isto nuper definito dogmate vindicando.

90. Haec porro cum ita sese res habeat, id nunquam intelligere potui quid sit, cur nonnulli, (non de nostris tantum, sed in genere, sine cujusdam vel scholae, vel personarum designatione me loqui profiteor), si quamcumque videant magistri, quem sequuntur, improbari sententiam, vehementius irascantur, quam si ageretur de proculcatis praecipuis ipsis fidei, ac Religionis fundamentis: quasi nempe ex una, vel item altera speciali opinione pendere possit scholae cujusdam, vel auctoris gloria; non vero haec potius ex integro doctrinarum nexu ac systemate coalescat. Numquid ex arbusculo non apte disposito statim praeclarissimi horti amoenitas ac venustas destruetur? Numquid obolo subducto evanescet illico ditissimus sapientiae thesaurus? Nostra igitur gloria deliciumque erunt semper, ut antea,

(1) Licet redimendi vocabulum non uno eodemque sensu apud prophanos auctores usurpatum fuerit, plerumque tamen sumitur, pro liberatione a captivitate jam contracta. Sic apud Terentium (in Eunuch.) habemus = qui ab hostibus capti sunt, vel alicui poenae obnoxii, soluto precio redimuntur. =

Angelici Doctoris volumina. Haec nocturna manu versabimus, atque diurna : ex iis doctrinae et pietatis pabulum hauriemus in salutem nostram, inque aliorum aedificationem : ex iis arma mutuabimus ad impios adgrediendos christiani nominis hostes, fideique veritates strenue defendendas; quas inter non illam omittemus Virgini gloriosissimam de immaculato atque impolluto ejus Conceptu, quam quidem sententiam ceu florem in Thomistica doctrina jam latentem ostendemus, vel saltem ejusdem principiis ita cohaerere, ut illis veluti rivulis irrigata, profundioribus devotionis sensibus etiam atque etiam adolescat.

§. VII.

91. Jam igitur, ni fallor, scrupulus omnis disjectus est, qui sollicitos adhuc quorumdam animos forsan detinere potuisset, qui nempe vererentur, ne ex edita dogmatica definitione aliquid decresceret Scholae nostrae, atque Ordinis decori. Quod tamen ne timendum quidem fuisse, abunde probavimus. Si enim nihil demptum esse evicimus Magistri Sanctissimi, cujus vestigia persequimur, gloriae et dignitati, quid erit pro discipulis pertimescendum? Quid immo non laetandum magis, atque plaudendum? Primo enim (ut rem hanc compendio tandem contraham atque absolvam) cujuslibet dissidii scholam inter nostram caeterasque, de hac quidem re, perpetuo occasio praecluditur. Dein vero suspicio quaelibet amovetur, quod nostris placitis ita mordicus insistamus, ut ea non pudeat praeponere ipsimet Ecclesiae, vel Sedis Apostolicae auctoritati (1). Ac demum

(1) Hoc quidem erroris, immo et stultitiae portentum non unquam sane dixit, vel somniavit Thomistica Schola. Sed loquor

planior commodiorque sternitur via, qua candide omnino atque aperte in negotio hujuscemodi scholarum nostrarum Antecessores posthac incedere possint, ac porro debeant. Cum enim ipsam Angelici Doctoris Theologicam Summam pro lectionum textu adhibeant, quum perventum esset ad tertiae partis vicesimam septimam quaestionem, satius plerumque ducebant ab ea pertractanda abstinere, quaecumque ipsis insideret privata mentis sententia. Nam praevalente adhuc opinione Angelicum id vere intelligere, quod primo verborum cortice designare videtur, ad has veluti incitas sese adductos noverant, ut scilicet in re nondum Ecclesiae judicio definitive composita non interpretis, sed oppugnatoris partes assumerent; vel e contra adversus piam sententiam argumenta proferrent. Primum autem illud, licet fieri sane potuisset, non licite tantum, sed laudabiliter ob Ecclesiae consuetudinem, *quae est in omnibus aemumulanda* (1), nec a Superioribus Ordinis *praeceptive* adhuc exigi poterat, nec ab omnibus sponte expectari, ad quod nulla lege tenebantur (2). Alterum vero vel vetitum nefas, vel periculosae plenum opus aleae (3). Jam enim manife-

de praejudicata, quae invaluerat, opinione, quam tamen magna ex parte falsam, vel saltem exaggeratam propugnavi superius, etiam cum nondum adstringeremur Ecclesiae definitione.

(1) Verba sunt S. Thomae supra citata.

(2) Lex enim, quae vetabat in contrarium docere, non etiam jubebat hanc quaestionem in sensu affirmativo esse omnibus Professoribus pertractandam.

(3) Disjunctive loquor, ne illam quaestionem exagitem an pridem fuisset, et quo tempore, et a quo Pontifice revocata illa intra domesticos parietes disputandi potestas a Gregorio XV. FF. Praedicatoribus concessa, de qua nonnulla superius dicta sunt.

sto conspicere poterant, quaenam esset hac de re Ecclesiae fides, cui certe nullus unquam germanus S. Thomae discipulus potuit, ac voluit refragari. Aliunde cui bono disputare privatim de ea opinione, quam nunquam et nuspiam licuisset dein sive voce, sive scripto exerere ac propugnare? Nonne ipsamet silentii indictione fuerat illa falsitatis indirecto saltem stigmate signata, cum utique non veritati, sed errori, par sit ab Apostolica Petri Sede veritatis centro praestitui silentium? Non ergo credibile erat, neque optandum, in eo statu atque conditione res ad saeculi usque exitum mansuras. Non diutius irrita, atque effectu vacua existere poterant devota populorum vota, ac desideria: nec Christi Vicarius diuturniores moras nectere ad decus hoc, solemnemque coronam virgineae Mariae fronti adjiciendam. Optata tandem advenerunt tempora: Pius jam hoc Deiparae rependit amoris et reverentiae tributum: Catholici omnes laetitia gestiunt: haeretici tantum incredulique homines vel impotenti fremitu, vel superba irrisione impetunt faustissimum eventum litteris aureis historiae consignandum. At quo magis debacchantur hostes, eo magis decet strenuos Ecclesiae milites armis accingi, clypeoque muniri veritatis, quod postrema hac tractationis parte relate praesertim ad Thomisticam Scholam singillatim me prosequuturum cum fuerim pollicitus, jam mea non morabor promissa complere.

CAPUT QUARTUM.

Haereticorum querelas atque objectiones adversus definitum Immaculatae Conceptionis dogma omnes quidem Catholici spernere, omnesque Theologi refutare debent et facile possunt. Speciali tamen ratione ex Thomistica Schola nedum quidpiam praesidii perduelles sibi assumere vel sperare queant, acrioribus armis se lacessiri sentient ac penitus profligari.

92. Non illud profecto me latet quosdam et pietate et sapientia praeclaros viros aliquando veritos fuisse, ne hujus definitionis dogmaticae occasione, vel interna excitarentur dissidia, vel externae augerentur haereticorum calumniae atque objurgationes. Sed neutrum fuisse serio pertimescendum, et Apostolicae Sedis agendi ratio jam probat, et intrinsecis haud paucis rationum momentis demonstratur. Nam a veris Catholicis (veros dico, non eos qui se tales verbis profitentur, factis autem negant) ne dubitari quidem poterat decretum illud ea, qua decet, reverentia fore excipiendum. Haeretici vero, cum undequaque rebellionis causas praetexant atque occasionem arripiant calumniae jacula intorquendi, parum aut nihil interest si unum potius quam alterum rebellionis praetextum aucupentur. Quaestio enim potissima non est, saltem hoc tempore, de peculiari aliquo dogmate vel retinendo, vel rejiciendo; sed de principio ipso, quod dicitur *auctoritatis;* quod si semel admitterent, peculiarem ejusdem applicationem non utique averso animo intuerentur ac repudiarent.

Quae enim esset a Christo Ecclesiae suae, ac visibili ejusdem Capiti conlata potestas, si etiam nunc obortas sive adhuc agitatas fidei quaestiones non posset irrefragabili judicio dirimere? Quod si ex clamoribus et calumniis haereticorum legem et amussim accipere debeat, et quasi normam mutuari, ut decernat aliqua vel definire credenda vel liberae opinioni permittere, nil fuisset unquam inter dogmata percensitum. Vetus enim novatorum omnium mos fuit, ubi actum est de eorum sententiis ab Ecclesia proscribendis, et ante definitionem callidis machinis et effugiis uti ad eam declinandam, et ea demum prolata reorum more judicem, quo damnati fuerant, maledictis lacessere. Quod ergo Protestantes, aliique sive haeretici, sive increduli, velut agmine confecto, hujus praetextu definitionis abutantur ad virus, nefastamque rabiem evomendam, qua in Catholicum gregem, Supremumque ejus Pastorem exaestuant, expectandum equidem, nec sane mirandum. At quod eorum irrisionibus, clamoribus, atque minis permoveri deberet Apostolici culminis dignitas, ut insigni decoris augmento abnueret Deiparae gloriosissimae caput exornare, id nec intelligere quidem possum. Si enim inquiebat Apostolus (1): *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* illud vicissim atque aequissimo jure intorquere nos possumus: Quid iis, qui foris sunt, judicare de rebus nostris, vel de opportunitate sententiae ferendae quocumque tandem modo decernere? Immo contrariam potius, nisi fallor, quam ii contenderent, arbitror fuisse consequutionem eliciendam. Videlicet ipsimet haereticorum clamores, vel in-

(1) I. Cor. V. 12.

credulorum dicteria, quibus Ecclesiae auctoritatem in hujus generis quaestionibus definiendis impetunt, sive spernunt, stimulos veluti addere poterant, ut potestatis suae exercitio juris a Christo traditi possessionem facto ipso tueretur. Quia tamen argumentis quibusdam, utique futilibus, sed speciosis quandoque, et artificiose propositis abutuntur, non inutilem fortasse operam conferam, si (I) argumenta quaedam, quae praecipua censeo ab iis fortasse adducenda (1), paucis, ut potero, verbis perstringam, atque exagitem: ac deinde propius accedens ad speciale disputationis nostrae subjectum, ac veritus ne versuta eorum nequitia ex antiquis nonnullis Scholae nostrae ducibus arma vel socios in hac quidem speciali pugna adsciscere audeat, illud contendam ac propugnabo (II) nostris potius e castris specialia jacula ad eos refellendos intorqueri, nostramque ipsam, si quae olim paucorum quidem et non omnium, fuit huic veritati

(1) Haec argumenta excerpam vel maxime ex brevi quodam Opusculo, quod sub ementito nomine Augustae Taurinorum non ita pridem editum est, atque inscribitur = Lettera di un Sacerdote cattolico ai Vescovi della Chiesa di Dio per rappresentar loro, che la sentenza della immacolata Concezione della B. Vergine Maria non può essere definita dottrina di Fede cattolica. = Hic veluti compendio contrahit quae fusius in alio libro ejusdem furfuris continentur, cui titulus = Proposta di alcune difficoltà, che si oppongono alla definizione dogmatica della Immacolata Concezione della B. V. Maria. = Licet hi libri prodierint antequam ederetur dogmaticum decretum, eo tamen spiritu, primus ille praesertim, quem diximus, conscriptus est, tamque aperte illius auctor protestatur, posita quacumque, et cujuscumque auctoritatis definitione, se obstinate in sua sententia permansurum, ut nihil unquam pejus ab haereticis quibuscumque proferri posse censeamus.

oppositionem, in majus haereticorum flagitium converti, amplioremque eorumdem confutationem.

§. I.

93. Quod maxime urgebunt profecto haeretici argumentum illud est, quod in Catholicorum systemate nova dogmata pro lubitu cudantur, ac proinde non divina Dei revelantis auctoritate fides tandem nostra innitatur, sed hominum placitis et testimonio. Qua quidem objectione, si illud tantummodo sibi vellent, res nullatenus revelatas, neque scilicet in Scripturis neque in Traditione contentas, nec cum revelatis necessario connexas non posse ad fidei dogmata traduci, ne unus quidem Catholicorum dissentiet. Ast si diffiteri praeterea velint fieri aliquando posse, aliquam hujuscemodi veritatem uberius decursu temporis discussam, ac Ecclesiae auctoritate firmatam, eo sensu dogmatibus adjici, non quod tunc primum revelata sit, sed legitimo, quod Christus ipse constituit, ministerio Christi-fidelibus fide divina credenda proponatur, non ecclesiasticae tantum antiquitati repugnabunt, verum et apertissimis divinarum literarum testimoniis. Plura enim non desunt in ecclesiasticae historiae monumentis quaestionum aliarum exempla, quae in utramque partem aliquandiu disputatae sunt, nec statim supremae potestatis judicio diremptae. Et Apostoli ipsi, exorta Antiochiae de Legalium observatione controversia, non illico eam dirimere voluerunt, sed longa habita conquisitione finire. Profecto non illud contendent Protestantes, ante editam hanc Apostolicam decisionem, omnes fuisse haereseos crimine incusandos, qui bona fide

censebant se mosaicis adhuc legibus adstringi: vel e contra illa etiam promulgata liberum cuique fuisse impune adhuc eamdem proscriptam detinere sententiam. Undenam ergo utriusque rei discrimen? non utique ex intrinseca objectiva veritate, quae semper eadem est, nec temporum vicissitudinibus obnoxia; verum ex insequenti authentica atque legitima ejusdem propositione. Temporis idcirco intervallum quoddam (non disputo an brevius vel longius fuerit) intercedere passi sunt Apostoli inter enatam de legalibus controversiam, et decretoriam ejus compositionem: licet eam potuissent certe, ut tironibus ipsis notum est, utpote qui Spiritus Sancti afflatu ac numine agerentur, sine mora ulla atque expectatione dirimere. Quod si non fecerunt, proprio comprobarunt exemplo nihil absonum inesse in ea praxi Ecclesiae deinde frequentatione suscepta, non nova videlicet cudendi dogmata, sed veritates veteres, ac in deposito doctrinae revelatae servatas, novo atque authentico decreto definiendi.

94. Consulto dixi nullam habendam temporis rationem, sive brevius sive diutius eam definitionem distulerint. Quid enim magis arbitrarium foret atque absurdum, quam ut Christi promissionibus, licet generatim prolatis, limites nos atque confinia pro arbitrio praestituere audeamus? Non equidem determinato dierum sive annorum spatio pollicitus est Spiritum suum Ecclesiae adfuturum, sed usque ad consummationem saeculi (1); et ut doceret eam non unam, vel item alteram, sed *omnem veritatem* (2).

(1) Matth. XXVIII. 20.

(2) Joan. XVI. 13. — Audiatur Melchior Canus, De Locis Theol. lib. IV. Cap. IV: = Quem igitur Spiritum veritatis Christus

Dummodo igitur de ea veritate sermo sit, quae ad Religionis negotium spectet, eam nunc, ut olim, Ecclesia Christi et tuto dignoscere, et infallibili potest auctoritate filiis suis credendam exhibere

95. Sed quum alia profecto quaestio sit disserere quid Ecclesia possit, et aliud modum et viam praefinire, qua id faciat, arguunt proinde vehementissime non tam ad defectum potestatis, quam objectivae rei definibilitatis referendum esse, quod frustra et injuria in dogmatum censum hoc de Immaculata Virginis Conceptione adsciscere voluerit. Non enim haec doctrina in sacra Scriptura (1), nec in traditione ipsa continetur (2): immo et habemus in iis plane contraria; tum in generali assertione, qua peccati contrahendi necessitatem ad omnes quotquot sunt naturali modo prognatos sacrae litterae pertinere tradunt (3), omnesque prorsus redemptione indigere (4), uno dempto, qui Christus est, utpote de Spiritu Sancto conceptus (5), cujus veluti specialem characterem atque notam exhibent quod omnino sanctus et innocens extiterit, et cujusque peccati expers (6). Quoad vero traditionem a Sanctis Patribus, ac caeteris Christifidelibus qui pri-

promisit Apostolis, Ecclesiae item post eos futurae promisit; nisi velimus Ecclesiam defunctis Apostolis fuisse a Domino destitutam; imo vero ad eam nec consilia, nec praecepta Evangelii pertinere. Siquidem quae Dominus Apostolis loquebatur, haec ad illos dumtaxat, non ad futuros in Ecclesia posteros spectare dicuntur. Quo quid stultius dici potest? =

(1) Opusc. cit. *Lettera* etc. pag. 26.
(2) Ibidem. pag. 27.
(3) Ibid. pag. 6.
(4) Ibid. pag. 15.
(5) Ibid. pag. 7.
(6) Ibid. pag. 12.

mis duodecim Ecclesiae saeculis floruerunt, ceu dogma fidei constanter potius habitum est, neminem praeter Christum, adeoque nec ipsam quidem B. Virginem a peccati originalis labe immunem (1), eamque expressis verbis non hoc tantum, quae naturae haereditate contrahitur, foedatam docent (2), verum et actualibus quibusdam utut levioribus culpis obnoxiam (3). Quod si subinde contraria opinio percrebuit, fuitque Solemniorum sacrorum frequentatione celebrata (4), nihil sane confert ad traditionis veritatem adstruendam, tum quia nova ac contra veterum fidem inducta (5), tum quia ex superstitiosa quadam credendi facilitate in rudem populum invecta est (6), tum denique quia Pontifices manifesto potestatis abusu omnem pridem haud levibus poenis constitutis sustulerunt aliter loquendi, scribendi, disputandi libertatem: et proinde non traditionem invenerunt quae existeret, sed novam ipsi pro lubitu induxerunt (7). Manifesto igitur constat, non potuisse dogmatibus accenseri piam, quam vocabant, sententiam, si canonico et legitimo judicio res confecta foret (8). Quod si nihilominus definitio dogmatica prodierit, quacumque tandem auctoritate id factum fuerit, non erit umquam ut vera ac legitima Ecclesiae definitio recipienda, omnesque praestabit nova abjicere, vetera retinere (9).

96. Haec omnia Jansenisticae, ut patet, factionis argumenta simul colligere placuit, ac veluti sub uno obtutu

(1) Ibidem. pag. 14.
(2) Ibid. pag. 18. 19.
(3) Ibid. pag. 22.
(4) Ibid. pag. 29.
(5) Ibid. pag. 23.
(6) Ibid. pag. 30. 31.
(7) Ibidem.
(8) Ibid. pag. 41.
(9) Ibid. pag. 39. seq.

legentium oculis exhibere, ut omnes intelligant quam verum sit, nihil novi ab Immaculatae Conceptionis osoribus jam fore expectandum, sed omnia in antecessum fuisse praeoccupata. Quae si pro rei gravitate singillatim dirimere adgrederer, fusiori sermone opus esset, quam quod patiatur et temporis, et ipsa opusculi conscribendi ratio: si autem omnino absque ulla refutatione dimitterem, verendum sane, ne id vel respondendi impotentiae, vel desidiae cuidam, atque incuriae in Catholicae fidei tuendis dogmatibus adscriberetur. Non omnia igitur silentio praeterire, nec omnia pariter quae dici possunt adferre constitui: sed quum objectiones ipsas vix per summa capita innuere atque attingere potuerim, sic et licebit responsiones etiam, quoad quidem satis fuerit, obiter delibare.

97. Ac primo, ubi de quaestionis definibilitate sermo est, rideant illi, si velint, sed nos tamen audiant argumento hoc tamquam de re confecta triumphantes: = Ecclesia hujusmodi dogma definivit: ergo illud reapse erat definibile. = Quod quidem argumentum si cum altero conferamus, quod urgent adversarii, videlicet: = Hoc non erat definibile: ergo Ecclesia non definivit; vel definitio, si forte prodeat, spuria esset, nec Ecclesiae ipsi tribuenda; = jure potius ac merito nobis licebit de eorum argumentandi ratione ridere. Nam principio illo constituto, quod Ecclesia infallibili in dogmaticis quidem definitionibus Spiritus Sancti assistentia fulciatur, non requiritur nisi factum definitionis (1), ut exinde jus ipsum, seu rei de-

(1) De modo, ut ajunt, canonico, quo contendunt procedendum esse in iis definitionibus edendis, sermo redibit inferius.

claratae veritatem absque ulla errandi formidine deducamus. Nostrum igitur argumentum hinc divinis, quae deficere umquam nequeunt promissionibus, inde vero facto omnibus pervio innititur: nec proinde repudiari fas est. E contra adversariorum principium qua tandem ratione stabiliunt, ac roborant? Promissio videlicet Christi ab ea conditione penderet, quod dum Ecclesia quidpiam suo judicio dirimendum adgreditur, tunc solum habeat Spiritus assistentiam, quum ea definit quae vere definibilia sunt. Ast esse definibilia, nec ne, quis tandem judicabit? Num Ecclesia ipsa? Sed tunc circulo, uti ajunt, vitioso manifeste peccabitur, nec ullus umquam adesset disputandi finis. Si vero tandem hoc de veritatis cujusdam definibilitate judicium rudi plebiculae, singulisque seorsum fidelibus deferendum esset, jam spiritus Protestantium privatus in legitimae auctoritatis praejudicium convalesceret, nihilque esset firmum ac stabile, sed omnia ancipiti vulgi opinione constarent. Audire heic rursus non pigeat doctissimum Canum, qui graviter, ac erudite rem totam his verbis prosequitur (1): « Bucerus dixit multo etiam » indoctius tunc esse Ecclesiae credendum, cum pronun- » ciat secundum Scripturas rite intellectas (quod in idem » redit, quam *cum definit rem definibilem).* Sed hoc cum » dixit, omnia fecit ambigua quae sint ab Ecclesia defi- » nita. Si enim aliter potest pronunciare quam Scriptura » sane intellecta exigit, excipiemus semper Ecclesiam in » eo falli, quod falso Scripturam intelligit (vel quod rem » censeat definibilem esse, quae definibilis non sit). Ni-

(1) De Locis Th. lib. IV. Cap. IV.

» hil igitur afferunt qui Ecclesiae auctoritatem non *abso-*
» *lute* sed ex *conditione* ponunt ». Et infra: « Verumenim-
» vero inter suos hic (Calvinus) mirifice garrit, et vel
» stulte ignorat, vel malitiose mentitur, cum dicit nos
» pro fidei oraculo habere, quod homines sine Dei re-
» velatione censuerint. Nos sane fidem nostram individuo
» nexu cum Verbo Dei conjunctam esse volumus, nec
» ullum Ecclesiae assensum fidenter firmeque sustinemus
» nisi quem a Deo extitisse habemus cognitum, et firmo
» conceptum animo. Sed illud quoque certo nobis per-
» suasum est Dominum Ecclesiae suae perpetuo et con-
» tinenter adesse, et eam Spiritu suo regere, ne quicquam
» pro fidei doctrina tradat, quod non idem fuerit Apo-
» stolis a Deo traditum ». Hactenus luculentissime, ac verissime Canus: ex quo ea quae a nobis dicta sunt mirifice confirmantur.

98. Ad Ecclesiae igitur ipsius judicium referri debet ut Scripturam consulat, vel Traditionem, atque videat simul quid in ea contineatur, quid repudietur. Et quum privatos quosdam conspicimus tribunali suamet sponte erecto, illud magisterium, quod Deus Sedi Apostolicae contulit, sibi arroganter vindicare, et quasi ex tripode figere leges, limitesque definire, quibus Christi Vicarius debeat munus sibi concreditum pascendi, docendi, regendi complere, vaferrimam hominum temeritatem detestamur, eosque provocamus vehementissime, ne claudicare velint in utramque partem, sed ad Christum ne pertinere velint, vel ad Belial aperte tandem edicere.

99. Falsum tamen, ac penitus commentitium est, quod ad nauseam usque regerunt, peccati originalis con-

trahendi legem ita absolute ac generalibus verbis divina in Scriptura prolatam, ut si contrarium quidpiam exciperetur de Virgine, ac defineretur fide divina credendum, foret id dogma novum invehere alteri dogmati adversa fronte repugnans, seu duo dogmata contradictoria (1). Quam quidem objectionem, licet disjectam saepius, ac protritam, quum eos repetere non pudeat, nec pigere debet nos iisdem responsionibus iterato refellere. Nemo unquam dixerit exceptionem quamdam, et quidem unicam (dempto Christo, de quo nulla controversia est), et gravissimis quidem fundamentis innixam, qua nempe legislator ipse propriam sui matrem a probroso quodam servitutis tributo ac vinculo velit eximere, legem ipsam quantumvis generalissimis verbis prolatam illico perimere atque infirmare. Sed ne dicant ad assuetas ac ludicras, ut putant, scholasticorum tricas atque artes omnia a nobis tandem revocari, heic et alias subjicimus responsiones. Apostolus sane, ut hoc utar, quod quidem menti succurrit, exemplo, generalem legem statuere videtur dum ait: « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (2) »: et loquitur manifesto, non de resurrectione quacumque, quia alias et Lazarus, et caeteri ad vitam Christi voce revocati jam ab illa lege fuissent exempti; sed de ea, quae in ruentis orbis exitu futura est, quando in *momento,* in *ictu oculi,* in *novissima tuba mortui resurgent incorrupti* (3). Numquid tamen adversarii ita huic legi, quamquam generalibus loquendi formulis prolatae, ipsam Deiparam subjicere audebunt, ut, quoniam de fide sit quid-

(1) Ibidem. pag. 7.
(2) I. Cor. XV. 51.
(3) Ibidem. v. 52.

quid tradit Apostolus, haereseos crimine infici dicant communissimam illam sententiam, quae de triumphali Virginei corporis et animae assumptione non dubitat?

100. Argumentum igitur, quod urgent (si mihi liceat scholasticas formulas adhibere, et fabris fabrilia permittantur), nimis probat: ergo nihil probat. Probaret nempe eos omnes qui de originali noxa edisserentes, ea lege B. Virginem eximi fassi sunt, dogmati jam certo ac definito repugnasse; ac proinde Concilii Tridentini Patres, haereticae hujus pravitatis esse incusandos (1). Probaret rursus illud de fide credendum, Beatam Virginem actualibus insuper, levioribus saltem, mendis obnoxiam, eo quod Scriptura sacra neminem plane perfecteque justum insinuet, adeo ut et *septies cadat justus* (2), et *qui dixerit peccatum se non habere ipse se seducit* (3). Et tamen sententiam illam omnes vere Catholici exhorrescunt, et Tridentini ipsi Patres insectati sunt. Probaret denique Christum ita parum consulere Ecclesiae suae incolumitati, ut siverit a fidei veritate desciscere universam. Neque dicant, quod cum

(1) Si dubius in fide infidelis est, ut vulgare fert Theologicum effatum, non in fidem tantum peccabit qui formaliter deneget, sed et qui rem in ancipiti relinquat, imo et satis clare indigitet contrariam sibi magis arridere sententiam. Licet ergo Tridentini Patres noluerint illam de immaculato Virginis Conceptu quaestionem dogmatico tunc decreto definire ac componere, cum tamen expresse declaraverint nolle se, ubi de originali peccato agitur, Deiparam comprehendere, in illorum, quos refellimus, sententia, et praevaricationis et haeresis crimen haud effugissent. Quo quid absurdius et impius dici potest?

(2) Prov. XXIV. 16.

(3) I. Joan. I. 8.

priora saecula aliter crediderint, vel illis temporibus, vel certe nostris fidei errorem ponere necesse sit. Si enim contendant in universum omnes, vel Ecclesiae totalitatem de immaculato Conceptu sententiae refragatam, nec probarunt illi unquam, nec probabunt: si vero de quibusdam Christi-fidelibus aut doctoribus sermo sit, non debemus quidem ex privata eorum sententia Ecclesiae ipsius sensum ac fidem dimetiri. Aliud est enim permitti quandoque a Deo in rebus necdum plene discussis, ac definitis, quosdam innocenter decipi: aliud vero sinere totam Ecclesiam errore infici, ac solemni decreto rem fidei adversam fidei dogmatibus accensere. Primum illud et fieri posse et non semel factum esse novimus ex ecclesiastica historia: alterum vero non contigit unquam, nec contingere quidem posse arbitramur, quin Deus Ecclesiam suam destituat, et portae inferi praevaleant adversus eam.

101. Caeterum de redemptionis necessitate, cui et Virginem obnoxiam volunt, ut eadem et casus communis sit particeps, quae est et liberationis, post ea quae superius allata sunt, vix attinet dicere. Nec responsione pariter indiget, quod subditur, Christum solum in divinis Scripturarum libris sanctum et justum nuncupari. Nam et Deiparae Sponsus *justus* dicitur in Evangelio (1), et *sanctorum* angelorum saepe mentio fit (2), et homines *sancti* haud raro nominantur (3): immo et jubemur *sancti* esse, quia

(1) Matt. I. 19.

(2) Ex. gr. Luc. IX. 26.

(3) Ex. gr. S. Joannem Baptistam S. Matthaeus appellat, virum *justum* et *sanctum*. Cap. XVI. 20.

Deus ipse sanctus est (1). Christus ergo appellatur sanctus per *antonomasiam*, quia necessario talis est, et causat in caeteris sanctitatem. Angeli dicuntur sancti, quia nullo unquam crimine actuali foedati sunt, nec originali foedari potuerunt. Homines dicuntur sancti, qui licet originalem noxam contraxerint, et actuali quandoque sese obstrinxerint sive gravi, sive leviori culpa, tamen dein sanguine Agni ablutis maculis justorum sortem adepti sunt, et coelestia regna consequuti. Quid ergo vetat Virginem Deiparam sanctam nuncupari, sensu quodam, pene dixerim, intermedio, quatenus et cum angelis innocentiam, et cum hominibus sortita sit originalis noxae contrahendae debitum (2), nisi speciali fuisset privilegio exempta, et ad eam puritatem evecta, = *ut nihil purius esse possit in rebus creatis...., sub Deo tamen, in quantum erat in ea potentia ad peccandum* (3), *et etiam sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator* (4)? Ergone sanctitas Christi debebit ex foeditate Matris enitescere?

102. Ita sane, inquiunt, ut sit omnia in omnibus, et sicut *omnes ad mortem per Adam, sic omnes ad vitam per Christum* (5), dicente Apostolo (6), *quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Omnia ergo ad duplicem quamdam unitatem refert Apo-

(1) Levit. XI. 44.

(2) Vel proximum vel remotum, ut superius cum card. Pallavicino adnotatum est.

(3) S. Thom. in Dist. 44. loc. super cit.

(4) 3. P. q. 27. Art. 2. ad. 2.

(5) S. Augustin. Contra Julian. lib. VI. Cap. XXIV.

(6) I. Cor. XV. 22.

stolus; quae unitas scinderetur, totaque excideret salvationis oeconomia, si vel unicum individuum ad massam illam corruptionis non pertineret Christi redemptione salvandam: sic enim non a Christo, sed a Deipara coepisset humanum genus a peccato in justitiam et gratiam traduci, quod certe Christi dignitati omnino repugnat (1).

103. Sed haec omnia futilia sunt. Si enim Christi dignitas illud exquireret, ut quemadmodum Adam tempore quoque caeteris in peccati labe praeiverit, sic ante Christum nullus justus atque sanctus in orbe adfuisset (2), tunc nec Adam, nec Moyses, nec tot alii viri amplissima sanctitatis laude vel in antiquo Foedere celebrarentur. Si autem eo tantum sensu Christi Salvatoris principatum intelligas, quod omnes veterum virorum merita non nisi futuris Christi meritis jam accepta deberentur, tunc quid prohibet idem de Mariae innocentia adstruere a qualibet peccati sorde Christi utique meritis praeservata? Ea igitur ratione,

(1) Opusc. cit. *Lettera* etc. pag. 11.

(2) Eva tamen prima peccato personali, externo saltem, polluta est, ut Geneseos libris manifeste traditur. Si ergo vellemus analogiam hanc prosequi, illud advertere fas esset ab Adam initium duxisse peccatum originis prout erat reatus naturae; sed Evam tamen illud in se quodam modo praevenisse. Sic et Redemptionem a Christo esse coeptam influxu causalitatis; sed Mariam tamen aliquid jam primaevae innocentiae vestigium exhibuisse. Nolo tamen huic analogiae strictius quam par sit insistere; cum maximum semper discrimen adesse fatear; quia Adam in primam ac personalem Evae culpam, antequam videlicet ipse quoque assentiret, nihil influere potuit; dum e contra quidquid gratiae et puritatis in anima Virginis sanctissimae enituit, totum jam erat Christi meritis tribuendum.

qua justitia erat in mundo ante Christum, et tamen ipse solus per excellentiam justus, immo et totius justitiae fons atque causa salutatus est, ita nil vetat singulari privilegio fuisse Deiparae vel a primis vitae exordiis collatam sanctitatem, dummodo illam ex Filii meritis consequutam esse fateamur. Et infinito quodam nihilominus inter sese discrimine secernentur. Nam Filius, et quia Deus, et quia virginali connubio de Spiritu Sancto conceptus, ne remotam quidem ullam habuit originalis noxae incurrendae possibilitatem; Maria vero, utpote consueto generationis more procreata, et infectae carnis depositum sortita, labis exinde contrahendae incurrisset debitum, nisi intuitu meritorum Christi in ipsa animi infusione fuisset omnino ab actuali ejus infectione praeservata. Qua distinctione invecta inter debitum, et actum; nec non inter activam et passivam Conceptionem, omnia apte cohaerent; et Scripturae, Sanctorumque Patrum dicta egregie conciliantur: nihilque jam est, quod vel Dei potentiam dedeceat, vel cum Christi dignitate pugnet, vel fidei dogmatibus de universali peccati originalis propagatione ullatenus adversetur.

104. At hic acrius insurgunt adversarii, nosque fidenter provocant ut distinctionum hujusmodi, quas *prophanas vocum novitates* appellant, Apostoli suasione fugiendas (1), volam saltem, vel vestigium in sacro revelationis deposito inveniamus: quod ne suspicantes quidem fieri umquam posse, quasi de victoria insultant, dicentes: = Ergone subtilitatibus hisce fas erit superstruere dogmaticam definitionem, quae obvium Scripturarum sensum, Patrumque con-

(1) I. Tim. VI. 20.

sensum aperte proculcat (1)? = Sed in primis, et omnia imperite confundunt, et susdeque permiscent. Si enim voces excipias, de quibus disputandum non esse, ubi de re constat, non Augustinus tantum, sed ratio ipsa suadet, illam distinctionem scholasticis tricis ac subtilitatibus accensere magna profecto inscitia est. Nititur quippe veritate manifestissima, et quae gravi fulcitur sacrarum litterarum firmamento (2): parentes videlicet nonnisi in corporis formationem, nullatenus vero agere in animae ipsius productionem, quam a Deo ipso immediate creari atque simul infundi, communis in Ecclesia sententia est. Quum igitur in Conceptione alia parentum, et alia Dei operatio sit, primam illam activam, hanc passivam placuit nuncupare; quae quidem appellatio, si delicatiores aures vellicet, eam, per me licet, repudient; dum tamen rem ipsam, quae repudiari certe nequit, nobiscum fateantur (3). Si vero contendant opus esse ut distinctio haec quoad ipsas voces in sacris literis formaliter et expresse contineatur, principium statuunt, quo omnes haeretici abusi sunt, vel abuti facile

(1) *Lettera* etc. pag. 22.

(2) Eccles. XII. 7. haec habentur: = Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. = Quae antithesis sat clare exprimere videtur corpus quidem humanam, sed animam habere immediatam a Deo originem.

(3) Haec distinctio, proprie loquendo, ne praesupponit quidem intervallum inter conceptionis primordia, et foetus animationem. Licet enim aliis de causis hoc admitti soleat, ac praesertim quia frustra in corpus necdum organis sufficienter instructum anima infunderetur, attamen si eodem etiam instanti utrumque perfici contingeret, distinguendum aeque foret inter id quod est a Deo creante, et quod ab homine gignente.

potuerint. Dixisset enim Nestorius, ut id exempli causa adducam, Θεοτόκου nomen frustra in singulis requiri Divinorum Bibliorum paginis, et neutiquam posse Virginem nuncupari Dei Matrem, utpote quae profecto ipsam non genuerit Divinitatem. Et respondentibus Catholicis rem tamen ipsam reperiri eo nomine designatam, quia licet Divinitatem haud sane Maria genuerit, genuit tamen personam illam unicam, quae ratione hypostaticae unionis divinam, humanamque naturam conjungentis, Deus simul et homo est, ac dici debet, majori pervicacia conclamasset, ne hypostasis quidem vocem in sacris literis adhiberi; ac eam porro distinctionem inter Divinitatem et Deum, seu inter abstracta nomina et concreta, ad scholasticas fuisse subtilitates amandandam, quibus haud decet inniti fidei dogmata, cum humana ratione inventa, non Deo revelante tradita sint. Quid ad haec adversarii? qua responsione in Nestoriana causa utentur ipsi, eamdem nos ad rem nostram urgebimus, jaculumque ab iis confectum in eos ipsos convertemus. Sed nec illud demum est silentio praetereundum, haec duo inter se toto caelo differre, quod nempe scholastica distinctione nitatur omnino definitio dogmatis, vel quod illam in nodi cujusque aut difficultatis solutionem, ubi concinne fieri poterit, adhibeamus. Non ergo Ecclesia absurdum hoc, quod supponere videntur adversarii, argumenti genus usurpat; scilicet credendam esse de fide Deiparam ab originali noxa penitus immunem, eo quia per distinctionem scholasticam activae et passivae Conceptionis possint contraria quocumque tandem modo componi atque explicari. Verum quum aliunde illi de divina hujus veritatis revelatione persuasum sit, et tamen

nonnulla objiciantur, quae huic specie tenus refragari videntur, nil vetat, quominus ipsa, vel potius Theologi, dum catholica dogmata tuentur, unam vel plures responsiones adhibeant, vel probabiles vel certas; quae si quandoque subtiles sint, nihil certe haec subtilitas officit earum veritati.

105. Sed ubinam tandem, inquiut, haec continebatur revelatio? Non in Verbo Dei Scripto, quo altum de hac re habetur silentium. Nec in traditione orali, quae prioribus saltem saeculis contrariam potius opinionem tutata est. Utraque igitur deficiente, vel definiri ab Ecclesia non poterat, vel haec gratuito sibi arrogat nova dogmata conficiendi potestatem. De Scriptura Sacra nihil prorsus, vel parum adducere possem, quod non saepius dictum sit, et omnium mente, atque ore versetur. Quum porro legitima hujusce interpres ipsa Ecclesia sit, huic potius credendum foret affirmanti illius dogmatis vestigia sat aperta in Sacris Litteris contineri, quam quibuslibet privatis auctoribus hoc idem negantibus. De Patribus vero seorsim acceptis, quamplures disputarunt: atque addito fonte ditissimo et amplissimo Sacrae Liturgiae, coeterisque expensis monumentis, rem istam latissime prosequuti sunt. Vel ex solo erudito opere cl. P. Passaglia (1) abunde liquet sensum hujus rei traditionalem in Ecclesia nunquam defuisse. Praeter enim

(1) In epistola illa (pag. 8.), cujus saepe memini, reus violatae religionis hic traducitur, eo quod sibi inter caetera demonstrandum assumat, nihil de Beatissima Virgine cogitandum, nisi novum, eximium, et supra naturam rationemque situm. At ille non hoc suo marte protulit, sed in medium allatis confirmavit sanctorum Patrum, vel liturgicis testimoniis.

loca, quibus expressa hujusce privilegii Mariae conlati mentio est, vetera haec monumenta huc illuc talia exhibent laudationis praeconia, quibus vel nullus vel erroneus sensus adforet, nisi illam immaculatam penitus, et omni naevo vel ab ipsa existentiae aurora immunem nobis exhibere fateamur. Quod enim, Patribus oratorio stylo quandoque utentibus, non omnia semper presse ac strictim accipienda atque exponenda sint, non certe diffiteor. Sed quod ubique, semper, et omnes, diversis licet verborum formulis, ea magnifica depraedicent, quae simul sumpta miram quamdam conficiant praeconii ac laudis unitatem, quum ista dein ostenderis piam Immaculati Conceptus sententiam vel praesupponere, vel inferre, methodo certe uteris aptissima ad traditionis seriem investigandam (1).

106. Verum ipsa devota populorum proclivitas, quae hoc mysterium colendum usque excepit, ac in dies ferventioribus affectibus frequentavit, satis prodit quaenam fuerit prisca hujus veritatis traditio. Nam illam tamdem adscribere inductae per Sixtum IV festivitati, si loquamur de templis, si vero de scholis, eam adjudicare Doctoris subtilis disputationibus, res est ab omni veri specie prorsus repugnans, ac eo laborat paralogismi vitio, quod causam inversa vice usurpat pro effectu, effectumque pro causa. Nam

(1) Praedictae Auctor epistolae (pag. 28.) conqueritur haec testimonia ab Immaculatae Conceptionis defensoribus plerumque mutuari iis ex locis, ubi Patres, graeci praesertim, magis elogium quam dogma, oratoris potius quam Theologi munere prosequuntur. Si ergo non citentur Patres, dicunt eorum deesse testimonia. Si vero illa adducamus, tunc oratoria amplificatione prolata, atque exaggerata contendunt. Quid igitur erit nobis agendum?

ideo festivitatem illam Conceptionis Immaculatae Pontifex invexit, seu potius propagavit, quod sensui ac devotioni fidelium illam conspiceret fore acceptissimam: solemnium enim celebratio praesupponit, non efficit christianae plebis de illius objecto persuasionem (1). Idque eo etiam potius de indicto silentio affirmandum, ex quo nempe causam repetunt universae illius, quae sensim convaluit, persuasionis. Cui quidem argumento, quo maxime triumphant adversarii, non unum tantum, sed triplex subjicimus responsum. Ac primum illud, quod Ecclesia non ab exordio, nec fervescente quidem aestu disputationum, imposuerit illico silentii legem maculati Conceptus propugnatoribus, sed tum solum, quum opportunum ac necessarium censuit, ut fidelium paci ac aedificationi consuleret. Et tamen ex his quae tollerabantur disputationibus, nedum populus a pia sententia vel minimum abduceretur, quin potius fervidioribus devotionis sensibus quotidie strictius adhaerebat. Quae si calumniari pergant veluti rudis plebiculae insomnia ac mystica deliramenta, nos e contra aliquid praestantius et credimus et profitemur de Ecclesia Dei, quam a veritatis semita in errorem deflectere potuisse haud unquam fatebimur. Cui primae affinis est altera responsio.

(1) De hoc argumento licet superius pertractatum sit, hoc tamen addere juvat, plusquam certum esse in sensu piae sententiae, atque omnimodae praeservationis fuisse a populo festum illud vel ab ejus institutione celebratum. Hic enim subtilitatem primi et secundi instantis non admisit, immo et ignoravit; et principium illud Angelici, quod Ecclesia *non celebrat festum nisi de Sanctis*, vulgare Christianae plebis criterium, nemine etiam docente, semper agnovit.

Ecclesia quidem jamdiu silentium indixerat, nec liberam amplius siverat quaestionis hujus disputationem. Sed qua de causa id tandem vetuit? ad jurgia praecavenda, ad praepedienda scandala, ad piarum aurium declinandam offensionem (1). Quae quidem ratio nec esse nec intelligi posset, nisi jam ita pervulgata pia sententia, ac plerorumque consensione recepta, ut ne contrarium quidem audire jam jam paterentur. Non ergo indictum silentium causa fuit cur illa latius propagaretur; sed e contra indici silentium oportuit, eo quod profundas egisset radices, alteque foret Christifidelium mentibus ac cordibus infixa. Denique Sedis Apostolicae decretis cautum quidem fuerat ne quis infenso animo verbisque privilegium Virginis nobilissimum adgrederetur; sed nuspiam ac nunquam praecepto quosdam obstrictos novimus, ut libris editis, sive disputationibus, susciperent illius tituli ac honoris defensionem. Eccur tamen ita plures vigilias in id, ac solertissima studia contulerunt? Quum igitur tunc temporis silentii obsequium, non librorum ac disputationum exigeretur, et tamen sponte, et lubentissime suscepto munere Mariani privilegii tuendi, plures e coetibus omnibus, ne nostro quidem excepto, inclaruerint, id nonnisi ex vetusta, constanti, et invincibili animorum persuasione potuit oriri.

107. Quamcumque porro hujus persuasionis causam comminisci velint, hoc ipso effectum admittere coguntur, ac universalem hanc fateri praesentis Ecclesiae consensionem. Quod si ad Ecclesiam priscorum saeculorum confu-

(1) Hanc exprimunt causam Pontificum, ac praesertim Gregorii XV et Alexandri VII Constitutiones.

giant aliter, ut autumant, sentientis, haereticorum quot-quot fuerunt vestigiis insistunt, moremque sectantur, quibus nihil fuit antiquius, quam ad declinandam praesentis, quo premebantur, damnatorii judicii auctoritatem, prioris aevi Ecclesiam appellare, eam dein successu temporis autumantes vel extinctam penitus, vel foede vitiatam, ut reformatione indigeret, quam quidem eam reformandi provinciam, et munus, et nomen, novi videlicet Apostoli, sibimet *modeste* arrogare non dubitarunt. Quod si porro fidelium consensum pergant ignorantiae, atque seductioni tribuere; Episcoporum totius orbis testimonia ad assentationem, humanasve causas referre; ipsam demum dogmaticam Supremi Pontificis definitionem traducere veluti abusum potestatis (1); ubinam ergo latebit Christi Ecclesia? vel quanam tandem ratione licebit veram matris vocem dignoscere, cui promisit Christus perpetuo, et usque ad mundi exitum fore adstiturum? Occulta ergo et invisibilis erit christiani populi societas, eorum videlicet, qui veteri fide servata, nuperis erroribus haud adstipulentur; quod Protestantium systematis indolem sapit omnino, impiumque commentum instaurat.

108. Nihil postremo immoramur quod de modo definiendi canonico blaterant. Heus qua aetate nos vitam degere contingit, qua milites pandere bellorum ducibus praeliandi modum ac normam, qua subditi regibus leges imponere, qua discipuli cathedram conscendere, docendique munus in magistros suscipere, qua demum oves pascendi jura pastoribus figere haud erubescunt! Christus Petro,

(1) *Lettera* etc. pag. 31. 32. 56.

ejusque in Pontificia dignitate successoribus pascendi munus concredidit, jussitque ut fratres in fide confirmarent. Infallibili ergo eos dum ex cathedra, ut ajunt, pronunciant auctoritate pollere inconcussa sententia est, et quam nullus, praesertim Divi Thomae discipulus, poterit unquam in controversiam vocare post ea, quae tam aperte Doctor sanctissimus tradit allatis superius verbis ex 2. 2. q. 1. art. 10, ubi ad Pontificis auctoritatem pertinere docet *finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur* (1). Sed ne forte quidam eo tandem confugiant, ut veluti sub obtutu cujusdam de Pontificia fallibilitate quamtumlibet profligatae sententiae, propriam adhuc rebellionem praetexere audeant (2), ne pacifice quidem eos sinemus sese sub umbra hac sive larva contegere. Nam ii ipsi omnes, quos appellant, nullo dempto (de Jansenianis aliisque hujus furfuris hominibus non loquor) confessi sunt, immo et contra Protestantes data opera propugnarunt, infallibilia omnia esse dogmatica quidem Pontificis decreta, quum ab Ecclesiae sive ab Episcoporum morali totalitate vel notabili pluralitate per orbem totum suscipiuntur. Id quod in re, de qua agimus,

(1) Notetur haec vox *finaliter*, quae significat peremptoriam, ac irretractabilem fidei definitionem: quod etiam patet ex ipso articuli titulo, qui est de fidei symbolo Summi Pontificis auctoritate ordinando; ac proinde supponi nequit Angelicum postea de quacumque alia definitione loquutum, quae ad fidem divinam stabiliendam incapax sit, nisi dicamus illum imperite a quaestione sibi proposita aberrasse. Sed decretoria sunt quae sequuntur, sic ea determinari a Pontifice, *ut ab omnibus inconcussa fide teneantur*.

(2) Ut auctor Epistolae saepe citate. pag. 56.

certissime evenire stultus est qui non videat, imo, et quodam modo jam evenisse. Cum enim Tournelius consensum hunc in antecedentem distinxerit, atque consequentem (1), prout nempe vel Pontificium decretum antecedit, vel consequitur, primum illud in veteri omnium Dioecesum in eamdem sententiam conspiratione, nuperisque Episcoporum responsionibus abunde liquet, ut nullus reliquus sit cavillandi locus, iis saltem qui non tenebras magis quam lucem diligentes, claudere oculos nolint, ut in meridiana ipsa luce coecutiant. Quae quidem a me dicta sunt, non quia dubius haeream de Pontificia in dogmatibus fidei definiendis infallibilitate, sed ut argumento quod ajunt ad *hominem,* arma ipsa, quibus in perniciem abusi sunt, vel abutentur, ad veritatis ego tuitionem adhibeam, atque omnimodam erroris profligationem.

109. Caeterum aliud postremo argumentum solvendum superest, quod pariter ad *hominem* dixeris, quodque in me intorquebunt fortasse vehementius dicentes: Non te pudet Thomisticae Scholae addictus cum sis, nunc veluti transfuga veteribus placitis, ac traditione abnegatis, palinodiam publice decantare? — Quid huic instantiae reposuerim, dum res erat cum Catholicis, liquet ex dictis Capite secundo. Nunc vero adversus osores edisserens, datam fidem exsolvens, id mihi tandem coronidis loco demonstrandum assumo, e Gusmanitarum castris acrius bellum, graviora vulnera esse haereticis in hac quaestione pertimescenda; tum speciali ratione ipsius traditionis comprobandae, tum ad Catholici systematis vim ac dignitatem veluti oculis

(1) In praelect. Theol. de Ecclesia Christi. quaest. 3. art. V.

facto ipso luculentius exhibendam, quod haereticis confusionem, Ecclesiae vero gloriam, et decus adjiciet praestantissimum.

§. II.

110. Imprudens quidem, ac paradoxo similis videri poterit ea thesis, quam propono, quod nempe nedum labefactata vel minimum fuerit ex facto Thomisticae Scholae piae sententiae traditio, majorem quamdam vim, ac certitudinem mutuata sit. Sed recole, quaeso, quae diximus de duplici Thomistarum agmine, quicumque tandem numero excesserint; et si rei circumstantias expendas, mihi fortasse assenties sic opinanti; nempe piae sententiae penes nos propugnatores ac vindices, magnum robur adjecisse veteri traditioni contra adversarios adstruendae; et e contra eos qui refragati sunt, nullum huic traditioni praejudicium attulisse. Nam tota negantium cohors ad unum tandem reducitur principium, ac centrum, nempe ad Divi Thomae auctoritatem, quae gravissima quidem est, sed praeterquamquod de sensu quo exponi hoc loco debeat, nonnulli disceptarunt, ad doctrinam ac traditionem Ecclesiae determinandam ex se sola non sufficit: dum e converso ii, qui piae sententiae suffragabantur, in eam nonnisi communi Ecclesiae sensu perduci potuissent. Isti ergo, non illi in traditionis testimonium, si opus foret, essent proferendi.

111. Sed exaggerent, licet, antiquam Ordinis ac Scholae nostrae oppositionem. Quid inde conficient? Non aliud, quam integram germanamque Catholici systematis formam ac dignitatem clarius in lucem, et veluti ob ocu-

los ponere, qua videlicet turpius ipsi confundantur. Quod quidem antequam demonstro, illud praemittendum censeo, quoties nos, Scripturae Sacrae vestigiis, Sanctorum testimoniis, et Nicaeno-Constantinopolitani Symboli auctoritate innixi, adversus Protestantes de verae Ecclesiae notis disputamus, ac praesertim de unitate disserimus, ad quam caeterae quadam ratione reducuntur, non tam in materiali doctrinarum consensione, quam in ipso Catholici systematis principio jure eam contendimus reponendam; adeo ut si forte contingeret in aliqua Protestantium secta quamdam ad *tempus* (1) conservari doctrinae uniformitatem, non idcirco unitatis characterem, ac notam, eam sibimet arrogare patiemur. Et e converso etsi nonnumquam contigerit in Catholicae Ecclesiae gremio diversas vigere sententias, non de rebus tantum revelationi prorsus extraneis, verum et de quaestionibus, quae materialiter ad Fidei depositum referuntur (quod Cypriano, aliisque earum regionum Episcopis de Baptismatis ab haereticis conlati validitate contigisse omnes norunt) non illa propterea exuitur clamyde inconsutili, seu praeclarissima nota ac signaculo unitatis. Cujus quidem discriminis, si rationem exposcas, ea in promptu est: quod videlicet Auctoritatis jugo excusso, et inducta privati examinis libertate, etsi materialem tantisper retinere eos contingat doctrinarum consensionem, formalem tamen sive fundamentalem ac constantem sibi eam vindicare nequeunt, cum ex prin-

(1) Dixi ad *tempus:* sublato enim auctoritatis principio, impossibile est diutius materialem etiam perdurare doctrinae unitatem; quod experientia ipsa luculenter demonstrat.

cipio *individualitatis* ceu ex radice, divisionis fructus serius ocius oporteat germinare, atque succrescere. E contra licet Catholici re nondum dirempta inter sese digladientur, cum utraque pars contendentium consentiat in uno eodemque admittendo auctoritatis principio, in hoc ipso, jam substantiali, radicali, ac formali unitatis vinculo copulantur. Statim enim ac Apostolicae Sedis, seu Ecclesiae judicio rem noverint definitam, dexteras illico jungunt, omnesque conspirant in eandem sententiam sine ullo discrimine inter eos, qui suffragati fuerant, et qui refragati. Celeberrimum plane est, cunctisque saeculis praedicandum illud Fenelonii exemplum, quum intelligens librum quemdam suum, ac theses nonnullas ex eo decerptas Apostolicae Sedis fulgure protritas, ipsum condemnationis decretum, in magno populi conventu, publice, solemniter, ex Episcopali, qua sedebat, Cathedra, perlegit, animi sui intimam testatus obedientiam; ac majorem hinc laudem adeptus, quam fuerit ingenio, rebusque gestis, vel editis libris celeberrimis consequutus.

112. Ast hoc, quod veluti magnanimitatis indicium et argumentum mirantur caeteri, ac victoriam portendit hominis non de alio homine, sed de se ipso, quod difficilius est, triumphantis, Protestantes ac Rationalistae irrident, ac ignaviae, sive imbecillitatis titulo despiciunt. Pronum est enim illa spernere, quae non confidimus imitari. Huic videlicet scopulo illidi perpetuo conspeximus effraenatam humanae mentis superbiam: huic, ceu communi principio, haereses, et schismata debentur, quae Ecclesiam Christi diu multumque vexarunt. Quamdiu enim affulgebat novatoribus spes posse se callida simula-

tione Ecclesiam decipere, ac impune errores evulgare, sub agni pelle luporum rabiem contegere ac dissimulare consueverunt. At quando detectis fraudibus, ad incitas tandem redacti sunt, ut inter haec duo, quid vellent, seligere cogantur, vel scilicet ineptas revocare blasphemias, vel rebellionis signa aperte excitare, tunc virus evoment teterrimum, abjectaque larva, in vesanos sensus erumpunt, et palam ex ea unitate desciscunt, e qua fore ejiciendos tutissimo praesentiunt. In hunc modum Lutherus, ut caeteros omittam, quamdam moderationis speciem praesetulisse visus est usquedum a Leone X se intellexit expresso tandem solemnique judicio perculsum. Tunc enim nec pudoris modum, nec reverentiae adhibere passus est, atque coepit in auctoritatem sanctissimam impie debacchari.

113. Verumenimvero quam diversum se prodat Catholicorum Systema, luce clarius haeretici atque increduli homines, inviti nequicquam ac frementes, nunc novae definitionis occasione manifeste conspicient: atque intelligent non esse illud, sicuti per calumniam ac scelus confingunt, aridum truncum morti proximum, sed nativo robore, virtute, foecunditate, uti pridem, ac semper efflorescere. Nam esto, non omnes in hac de Immaculato Virginis Conceptu quaestione fuisse constanter labii unius, ac sermonum eorumdem (1): esto, quod Thomistica Schola (si ipsi quidem id contendere velint) adversae olim opi-

(1) De privatis semper hominibus me loqui profiteor; non vero de ea, quae vel ab initio, et semper viguit, Ecclesiae traditione.

nioni adhaeserit: immo et amplificent pro lubitu contendendi studium, disputationis aestus, animorum simultates. Quid inde? Quo saevior tempestas describitur, quo turbulentius aequor, eo potentior dignoscitur vox illa, quae dum e Vaticano nuper colle ventis imperavit atque mari, facta est tranquillitas magna. Eo videlicet mirabilius refulget Catholicae unitatis compago, atque auctoritatis, sacrique imperii firmitas. Quae enim magni cujusque systematis conditio est, ut speculative quidem sublime ac decorum appareat, sed praxi applicatum pulchrius adhuc sublimiusque videatur, hoc idem Catholico systemati contigisse palam est. Difficultas enim atque arduitas, in qua maxima meriti, laudisque ratio consistit, non in speculatione mentis, sed in operis praxi praesertim est sita: nec abnuerent fortasse ipsi haeretici auctoritatis principatum Ecclesiae deferre, ea tamen conditione adjecta, et inita faederis pactione, ut ue proprios unquam damnaret errores, ac inimico homine superseminante zizania, haec ne placidum quidem somnum obrumperet. Contra vero Catholici vocem Pastoris non reformidant, non respuunt, non aversantur; immo vero audiunt, sequuntur, et diligunt, sive approbet, sive condemnet, sive sinat nos semel inditae opinioni acquiescere, seu huic repente valedicere cogamur. Etiamsi igitur illud omnino verum foret, Thomisticam Scholam, Ordinemque nostrum, qua late patet, piae sententiae repugnasse, non inde triumphum canere, nec ad instaurandum praelium arma capessere possent Catholicae veritatis osores. Immo spectaculum oculis suspicerent ipsis, si sapiunt, imitandum, integri hominum caetus, qui audito supremi Pastoris oraculo,

non ex animo tantum veteris opinionis, si quae superfuerint, semina radicesque convellunt, verum et voces, et mentes, atque corda caeteris fidelibus laetitia gestientibus copulant, paratosque sese exhibent definitam ab Ecclesia dogmatis veritatem verbis edicere, scripto defendere, et sanguine ipso, ubi opus fuerit, Deo bene juvante tueri (1).

CONCLUSIO.

114. Ut ergo jam paucis contraham, quae fusiori hactenus oratione prosequutus sum, nemo certe auspicatissimam hanc Immaculati Mariae Conceptus dogmaticam definitionem et lubentius complecti, et jucundius excipere, et demissius venerari par est, et revera amplectitur, excipit, veneratur, quam meus Praedicatorum Ordo, et Thomistica Schola. Filiali enim pietate, qua tum generalibus, tum specialibus titulis in Deiparam vel a sui incunabulis sese profitetur devinctum, ipsoque devotionis Rosarii propagandae, quod habet concreditum munus, ac rerum tandem, quibus versatur, discrimina, ut de adjecta ampliori Virgini Matri gloria laetanter exultet dulci necessitate compellitur. Idipsum reposcunt ea, quae in Apostolicam Sedem debere se intelligit, reverentis gratique animi pignora, ut quoniam illius beneficio quidquid habet, immo quidquid est acceptum referre debeat, voces

(1) Hypothetice me loqui palam est. Non enim admittere possum in fine, quod operis initio non sine optima causa negavi; illam videlicet maculati Conceptus fuisse vere propriam Ordinis nostri vel Scholae sententiam.

ejus exaudiat non generali tantum, vel servili obsequio, sed amore filiorum, et gaudiis participet Ecclesiae, quae Mariam nova exornans corona, proprium etiam caput fulgidiori lucis diademate, indirecto saltem ac reflexo splendore, nuper coronavit. Id Ordinis decus ac incolumitas exigit, et ipsa gloriosa Patrum nostrorum traditio in Angelici Doctoris vestigiis persequendis, cujus si specialis de hac re doctrina non posset optimo jure, ut quidam arbitrantur, cum definito dogmate conciliari, modeste tamen ac reverenter foret in hoc dimittendus, non illa tantum ratione, quae Catholicis communis est, sed ut ipsis peculiaribus Divi Thomae principiis insistamus; alioquin dum vellet quis *Sancto Thomae adhaerere, a Sancto Thoma recederet* (1). Demum hoc tantum modo strenuos nos, ut olim, gnavosque milites exhibebimus in Ecclesiae hostibus adoriendis atque expugnandis, qui licet plerique in rationalismi barathrum volentes prolapsi nec de originali labe, nec de Virgine Matre, aliisve revelatae doctrinae articulis negotium sibi ullum facessere profiteantur, fortasse tamen in alienam hanc messem volent et ipsi importunam falcem injicere, ut occasionem captent Ecclesiam Catholicam ac Petri Sedem injuriis, calumniisque de more lacessendi.

115. At vos, ut tandem egregios Angelicae Doctrinae asseclas, et Consodales verbis compellam amantissi-

(1) Verba sunt jam citati P. Piccinardi, qui hunc canonem constituebat non de peculiari hac quaestione tantum, sed de integra, ut par est, Divi Thomae doctrina. Vide de Approb. Doctr. S. Thomae. lib. II. q. 1. a. 2.

mis, pergite, ut soletis, istorum foedera repellere, insidias detegere, insanos impetus propulsare. Arma vobis non profecto deficient in aureis Doctoris ejus voluminibus repetenda, qui haereticorum omnium malleus, Ecclesiae vero columen praeclarissimum meruit nuncupari. His pugnate ac vincite: sic enim veros tanti Praeceptoris discipulos facto ipso vos dignoscent omnes, ac pro merito suscipient. Nec pertimescite, quod imperite fortasse, nescio qua mente, quispiam poterit exprobare; quod videlicet nupera definitione gravissima labis ac dedecoris vulnera Schola vestra passa sit; immo et meo hoc opusculo hanc fore ignominiam latius pervulgandam. Falsum est enim per hoc gloriae quidpiam ac dignitatis Scholae nostrae fuisse vel diminutum vel ademptum. Sed si verum foret ita contigisse ut jactant vel pertimescunt, quid tandem dicemus? Oh felix ignominia, clamarem lubentissime in aevum, si nonnihil ex ea adjici possit Virgini Dei Matri gloriae atque honoris! Condensentur super nos tenebrae, si fulgidior in amantissimae Matris decus exinde splendor erumpat! Si quis ob id nos irrideat vel spernat, in mysticam novi faederis Arcam id libentius praestabimus, quod olim David in veteris Arcae obsequium praestare ac dicere non haesitavit, dum a Michol se irrideri conspexit: « *Vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (1) ». Si exprobrent nos hora undecima in hanc florentem vineam advenisse, quamquam id ex dictis fas esset omnino negare, opere tamen magis quam verbo respondebimus: nempe ita conabimur Mysterium hoc Immacu-

(1) II. Reg. VI. 22.

lati Conceptus in concionibus praedicare, in scholae lectionibus propugnare, in haereticos omnes defendere, ut omnes intelligant quid intersit inter Ecclesiae hostes et filios: et sub Intemeratae Matris auspiciis Ordo noster usque et usque efflorescat in Ecclesiae tutamen, et animarum salutem, atque ad Paterni cordis Pii Papae IX uberem consolationem, cui fausta cuncta adprecamur, Illius praesertim implorata Virginis ope, a qua ob conlatum sibi auctumque decus, in specialem clientelam fore suscipiendum confidimus, ac Pastorem Optimum in Christiani gregis bonum diutissime sospitandum.

FINIS.

			Errata:	Corrige:
Pag.	3.	lin. 2.	Costantino	Constantino
»	8.	» ult.	piam sententiam	pia sententia
»	11.	» ult.	cujus hostes	quorum hostes
»	28.	» 18.	conceptum	conceptam
»	30.	» 18.	heic extitisse	heic semper extitisse
»	56.	» 15.	opinioni permissi	opinioni permissis
»	57.	» 25.	nuper hoc	super hoc
»	86.	» 6.	quorum	quarum
»	110.	» 6.	concludendum	excludendum
»	112.	» 3.	vel minuerunt	vel minuerent
»	126.	» 21.	Praeceptori	Praeceptoris

Caetera menda corriget Lector, quae non incuriae, sed festinationi, qua editio fieri oportuit, benignus adscribet.

INDEX.

Proemium. . . . . pag. 7
Operis ratio ac divisio. . . . . » 9
CAPUT PRIMUM. *De causis laetandi ob editam de Immaculato Mariae Conceptu definitionem relate ad ipsam Virginem* . . . » 12
§. I. *Privilegium hoc maxime Deiparae gloriosum*. . . . . » 13
§. II. *Atque ad hanc gloriam augendam haud parum contulit dogmatis definitio*. . . . . » 15
§. III. *Nefas proinde est quemlibet Mariae devotum sese ab huc laetitia ac plausibus eximere* . . . . . » 18
§. IV. *Atque eo magis augetur congaudendi ratio ac debitum Ordini Praedicatorum amplioribus per eam beneficiis cumulatissimo.* » 20
§. V. *Ecclesia equidem magna ex hoc eventu sibi praestolatur bona.* » 30
§. VI. *Omnesque proinde in communi periculo debemus communibus gaudiis et fiduciae participare* . . . . . » 34
CAPUT SECUNDUM. *Hanc definitionem expetere, ac de ea edita gratulari nos decet in ordine ad ipsam Ecclesiam, cujus membra sumus ac filii* . . . . . » 36
§. I. *Jamdiu ante editum dogmaticum decretum, dubitari non poterat de Ecclesiae sententia in favorem Immaculati Conceptus.* » 38
§. II. *Nec contraria sententia fuit unquam vel Dominicani Ordinis propria, vel Thomisticae Scholae* . . . . . » 39
§. III. *Nonnulli quidem privati olim huic adhaeserunt*. . . . . » 48
§. IV. *Verum quo in dies manifestabatur uberius Christifidelium devotio, ac Ecclesiae consensus in praeservationem Virginis a quolibet originali reatu admittendam, etiam dictus Ordo apertiora exhibebat suae adhaesionis argumenta* . . . . . » 59
§. V. *Non deerat ergo nisi medium omnino tutum et efficax ad quaelibet dissensionis germina penitus, ac perpetuo divellendum.* » 63
§. VI. *Quod quidem medium a dogmatico Sedis Apostolicae decreto maxime erat expetendum* . . . . . » 66
§. VII. *Quum praesertim hoc modo liceat omnem a nobis removere oppositionis cujuslibet accusationem* . . . . . » 70

Caput Tertium. *De hoc dogmate, ejusque definitione respectu ad Sancti Thoma doctrinam, atque ejus Scholam, quae nempe illius placitis se adhaerere gloriatur.* . . . . . .pag. 72

§. I. *Vanus ille scrupulus ac timor fuit, ne haec definitio quidquam demeret Angelici Doctoris gloriae atque auctoritati* . . . . » 74

§. II. *Immo Sancto ipsi Doctori in Coelis regnanti hoc gloriae augmentum a militante Ecclesia Deiparae conlatum gratissimum accidit; nec jam pro suis discipulis agnoscit, nisi quos viderit et mente, et corde, et lingua ei lubenter adhaerere* . . » 90

§. III. *Quum praesertim haec doctrina nuper definita, sin minus literae, spiritui certe ac principiis per eum jactis maxime consona sit* . . . . . » 93

§. IV. *Quoad vero privatam ejusdem de hac re opinionem, vix quidem credibilem censeo illam, quam nonnulli defenderunt, ejusdem operum corruptionem.* . . . . . » 116

§. V. *Haec tamen ipsa quae in contrarium afferuntur, haud impossibile videtur cum catholico dogmate conciliare* . . . . . » 123

§. VI. *Quod si fieri omnino non posset, esset in hac re modeste dimittendus, quin tamen ipse aliquid exinde subeat detrimentum vel doctrinae, vel sanctitatis.* . . . . . » 140

§. VII. *Immo nec ejus Scholae dedecus ullum inflictum fuit; cui potius apte provisum est pro rei opportunitate ac veritate* . » 154

Caput Quartum. *De Conceptione Immaculata in ordine ad haereticos, ac quoslibet Catholicae veritatis osores.* . . . . . » 157

§. I. *Quaecumque argumenta afferant Ecclesiae hostes ad dogmaticam hanc veritatem labefactandam, exigui ponderis sunt, et facile solvuntur* . . . . . » 160

§. II. *Nedum vero ex supposita atque exaggerata Scholae nostrae veteri oppositione possint illi arma sumere vel ad dogma ipsum, vel ad ejus traditionem impugnandam, quin potius ex hoc ipso, et Catholicum systema majori luce effulget, ac Protestantes, atque increduli magis etiam, magisque confunduntur.* » 182

Operis conclusio . . . . . » 187

IMPRIMATUR. - *Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Magister.*
IMPRIMATUR. - *Ant. Ligi Archiep. Icon. Vicesgerens.*

233.82
G232

30933

De immaculato deiparae concepti.../ P. M. Francisco Gaude

DATE	ISSUED TO
	9-88

30933